THEOLOGICÆ INSTITUTIONES

CUM

RECTA NATURALI RATIONE

UT PLURIMUM CONSOCIATAE

OPERA ET STUDIO

A. R. P. CHERUBINI A PALMA

INTER

MIN. OBSER. PROV. NEAPOLIS

LECTORIS JUBILATI.

TOMUS SEXTUS.

LIB. VIII.



NEAPOLI

EX TIPOGRAPHIA CAJETANI REALE

1842.

THEOLOGICARUM INSTITUTIONUM

LIBER VIII.

DE SACRAMENTIS.

1. Tandem opitulante Divina gratia, studiosissimi Juvenes, ad metam pervenimus nostrorum laborum, ad octavum scilicet, et ultimum Theologicarum Institutionum librum. Ut ab initio audistis, in ipso disputandum est de Sacramentis, quae sunt veluti instrumenta, et vehicula, quibus ad nos pervenit Redemptoris gratia, et assecuta corroboratur, et augetur, nec non iterum recuperare fas est, quoties infeliciter per lethale peccatum fuerit amissa. Quod si unum hoc Theologica Facultas respicit, nostram scilicet aeternam salutem, jam videtis qua cura, qua diligentia necesse est vestram operam navare in addiscenda tam utili, et necessaria

doctrina Sacramentorum. Ergo renovate vires, et quo singulari studio incepistis, et constanter hactenus perdurastis, eodem nunc prosequimini. Nec causa est animis concidatis, ne, praeter solitum, sermo noster longior sit in hoc libro, ex eo quod multa sunt, quae pertractanda occurrunt, et ex ipsis non pauca, sicut necessaria, ita valde etiam controversa. Etenim utrique rei satagimus consulere, abjiciendo scilicet prolixiorem scholasticam methodum, quantum tamen fieri poterit, et simul praesentia semper habendo decreta Concilii Tridentini hac super re edita in sess. VII. Age ergo.

De multiplici acceptione nominis Sacramenti.

2. Sacramenti vocabulum aliter a prophanis, et aliter a Sacris Scriptoribus accipitur. Illi intelligunt obligationem, qua jurati aliquo vinculo servitutis tenemur; et hi intelligunt sensibile signum, quo aliqua occulta res sacra indicatur, quod Graeci appellant Mysterium. Sed quod ad rem nostram pertinet, illud tantum sensibile signum intelligitur, quod non quamcumque rem sacram designat, sed solam gratiam Redemptoris in ordine ad nostram aeternam salutem. Ita Catech. Rom. par. II. de Sac. n. 1. et seq.

Sacramenti definitio.

3. Quoniam, ut in superiori libro dictum est, diversa, et opposita est doctrina Protestantium a doctrina Catholicorum circa hominis justificationem; inde ne-

cessario factum est, ut diversa quoque, et opposita sit definitio Sacramentorum. Illi enim, quia negant dari veram nobis inhaerentem, et intrinsecam justificationem, ut sibi constent, omnem justificandi virtutem Saramentis negare debent, et nuda signa appellare ad indicandum, quod jam per fidem (fiduciam) apprehendimus Christi justitiam; vel ad summum ad excitandam, et corroborandam fidem, ut apprehendamus. Catholici contra suo item innixi principio, quia de fide tenent, et docent, homines vere intrinsecus justificari per Christi merita, et id fieri per sacramenta, quae post fidem, sunt princeps conditio, qua participati licet Christi meritis, et Dei promissionibus; idcirco de fide quoque tenent, quod per Sacramenta vere justificamur, sive quod Sacramenta rite suscepta gratiam conferunt.

4. Nec inde sequitur, quod sic non poterit recte procedere nostra disputatio cum adversariis, quoniam non convenit de rei definitione, et ut quisque, post Principem Romanae eloquentiae, pro certo ponit, quod quaecumque disputatio, ut recte procedat, debet a definitione proficisci, ut partes habeant in quo conveniunt. Etenim in hac nostra cum Novatoribus disceptatione tam nobis, quam illis doctrina, et definitio Sacramentorum sunt unum, et idem. Recte ergo procedent omnia, uti recte se habuerunt in superiori libro. Sit itaque Sacramentorum definitio in sensu Catholicorum (Catech. Rom. p. II. cap. I. n. 11.)

5. *Sacramentum est res sensibus subjecta, quae ex Dei institutione Sanctitatis, et justitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet.* Dicitur sen-

sibus subjecta; quia per actionem in organis sensoriis excitat in nostra mente ideam alterius rei occultae. Dicitur, *ex Dei institutione*, quia solus Deus, sive Jesus Christus, est auctor novae legis Sacramentorum, ut qui solus potest rebus sensibilibus, et symbolicis, virtutem tribuere gratiam producendi. Tandem dicitur, *Sanctitatis, et justitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet*, ad indicandam Sacramentorum virtutem, et efficaciam, quoties non ponamus obicem.

6. Quod si, ut diximus, opposita est sententia Novatorum, illorum definitio esse debet: *Sacramenta sunt nuda signa, quae vel excitant fidem ad apprehendendam Christi Justitiam, vel indicant jam ipsam Christi justitiam fuisse nobis imputatam, vel tandem societatem significant, ad quam quis pertinet*. Et quidem huc redeunt definitiones omnium Novatorum. Etenim Zwinglius dicit in Confess. ad Carol. Imp. tom. II. pag. 541. *Hoc libens admitto, Sacramenta dari in testimonium publicum ejus gratiae, quae cuique privato prius adest.* Calvinus Inst. lib. IV. cap. XIV. definit Sacramentum: *Externum Symbolum, quo benevolentiae erga nos suae promissiones conscientiis nostris Dominus obsignat ad sustinendam fidei nostrae imbecillitatem, et nos vicissim pietatem erga eum nostram tam coram eo, et Angelis, quam apud homines testamur.* Anabaptistae vocant Sacramenta *signa allegorica* vitae spiritualis: Et Arminiani, Mennonitae, ac Sociniani appellant caeremonias, et nudos exteriores ritus, quibus Christiani ab aliis distinguuntur.

DISTRIBUTIO OPERIS.

7. Ut morem sequamur omnium, qui de Sacramentis Scripserunt, in duas partes hunc ultimum librum distribuimus. In primo sermo erit de Sacramentis in genere; in altera de Sacramentis in specie. In illa disseremus de iis, quae ad omnia Sacramenta pertinent; et in hac expendemus, quae sunt propria cujusque.

PARS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

8. Juxta naturam, et numerum eorum, quae Catholica Ecclesia docet, et propugnat de Sacramentis generatim inspectis, in sex capita hanc primam partem dispescimus. In I. vindicabimus Sacramentorum existentiam tam in nostra lege Evangelica, quam in lege naturae, et Scripta, et numerum illorum in nostra lege gratiae. In II. sermo erit de Sacramentorum Auctore, et Ministris. In III. disputabitur de Essentia, et partibus, quibus Sacramenta constant. In IV. Expendemus eorum necessitatem. In V. disseremus de Sacramentorum effectibus. In VI. tandem de eorumdem ritibus, et caeremoniis.

9. Sed quoniam necesse est, ut in omnibus summa diligentia sequamur doctrinam Concilii Tridentini, et in nihilio dimoveamur a decretis, quae sess. VII. edidit de Sacramentis, ante omnia videamus oportet, quae ipsa sint de Sacramentis in genere.

Canon I.

Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse, et proprie Sacramentum anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, ea ipsa novae legis Sacramenta a Sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae, et alii ritus externi; anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, haec septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.

Canon IV.

Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit, haec Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit.

Canon VI.

Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant; aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae, vel justitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, et aliquibus; anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit, per ipsa novae legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.

Canon IX.

Si quis dixerit, in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi Characterem in anima hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile; unde ea iterari non possunt; anathema sit.

Canon X.

Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.

Canon XI.

Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit.

Canon XII.

Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema sit.

Canon XIII.

Si quis dixerit, receptos, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administra-

tione adhiberi consuetos, aut contemni: aut sine peccato a ministris pro libito amitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.

Quibus positis, veluti pro vinculis, et cancellis, ex quibus nullo pacto liceat solvi, et exire, sit

CAPUT I.

De existentia, et numero Sacramentorum.

10. Quod existant Sacramenta in nostra lege Evangelica, nullus est, qui in dubium revocaverit. Et Novatores ipsi ultro fatentur, etsi discrepent circa numerum, et efficaciam illorum. Haec veritas luculentissime patet ex innumeris Sacrae Scripturae locis, ex communi doctrina Patrum, qui omnes supponunt, et nullus est, qui voluerit demonstrare. Quinimo cum Ecclesia, maxime in Concilio Tridentino congregata, multa de fide decreverit circa virtutem, numerum, Auctorem, ministrum etc. Sacramentorum (§. sup.), quis dubitare potuerit quin ad fidem pertineat illorum existentia? Ast quia non ita dicendum est de lege scripta, et naturae propterea sit

PROPOSITIO I.

Etsi non constet de numero Sacramentorum legis scriptae, certum tamen est, quod extiterint.

11. *Prob. ex Scriptura.* Iob cap. I. v. 5. habe-

mus: *Mittebat ad eos* (filios) *Job, et sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis: Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, et benedixerint Deo in cordibus suis: Sic faciebat Job cunctis diebus.* Si ergo holocausta illa sanctificabant filios, procul dubio erant signa sensibilia, quae in fidem Christi venturi, ex Dei promissionibus, conferebant gratiam. Unde Doctor Augustinus interpretans hunc locum, inquit: *Nam et Sacrificia eorum legimus, quibus utique Sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mundi.* Levitici cap. IV. praecipitur, et diligenter describitur quomodo immolari debebat vitulus pro expiatione peccati Sacerdotum, Populi, et Principis. Item cap. V. praecipitur offerri agnam, sive capram, vel duos turtures pro expiatione peccati, praesertim jurisjurandi; et ad expiationem praevaricationis Caeremoniarum praescribitur oblatio arietis immaculati. Et cap. VI. v. 7. asseritur: *Qui* (*Sacerdos*) *rogabit pro eo coram Domino, et dimittetur illi pro singulis, quae faciendo peccavit.* Quippe si tanta virtus erat in illis Sacrificiis, quis illis negabit veram rationem Sacramenti? Sed quid dicemus de Circumcisione? De ipsa enim habemus Geneseos cap. XVII. v. 10; et seq. *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, et vos, et semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum . . . Eritque pactum meum in carne vestra in foedus aeternum.* En signum sensibile, et Divina institutio. *Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo meo.* Cur

id? Quia ex Apostolo ad Romanos cap. IV. v. 11. Circumcisio erat signaculum fidei: *Et signum accepit Circumcisionis, signaculum justitiae fidei.* En ergo justificatio per fidem, cujus signum erat Circumcisio. Tandem, ut caetera omittamus, Numer. cap. XV. praecipitur oblatio similae, et vini, et etiam vituli: et v. 25. dicitur: *Et rogabit Sacerdos pro omni multitudine Filiorum Israel, et dimittetur eis.*

12. *Prob.* II. ex Sanctis Patribus. Adeo communis est super hac veritate doctrina Sanctorum Patrum, et Theologorum, ut nullus sit dubitandi locus, quin propterea habeatur Divina Apostolica traditio, quae est altera fidei regula. Sed brevitatis causa nonnullos afferimus. Itaque Augustinus lib. V. contra Tullianum cap. XI. scribit de utraque lege, naturae scilicet, et Moysis: *Nec ideo tamen credentum est, et ante datam Circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eos opitulatos fuisse parvulis suis: quamvis quid illud esset aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit. Nam et Sacrificia eorum legimus, quibus utique Sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mundi. Apertius etiam legis jam tempore, nascentibus parvulis, offerebantur Sacrificia pro peccatis.* Et item tom. VI. lib. XIX. contra Faustum cap. XIII. ait: *Sacramenta, quae observabantur, et celebrabantur ex lege . . . ablata sunt . . . Et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.* In tractatu de operibus cardinalibus Christi, inter opera S. Cypriani,

cap. *Circumcisione*, pariter pro utraque lege, scripta, et naturae habemus: *Sane originale peccatum, quod a primis parentibus in totam generis humani successionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari.* Et Divus Thomas quaest. LXI. art. IV. ait: *Oportet quaedam alia Sacramenta esse in nova lege, quibus significentur ea, quae praecesserunt in Christo.* Et in II. quaest. 202. art. V. ait: *Dicendum, quod sicut supra dictum est, Sacramenta proprie dicuntur illa, quae adhibebantur a Dei cultoribus ad quandam consecrationem, per quam scilicet depurabantur quodam modo ad cultum Dei. Cultus autem Dei generali quidem modo pertinebat ad totum populum, quaedam autem specialiter ad Ministros; et circa utrosque tria erant necessaria. Quorum primum est institutio in statu colendi Deum: et haec quidem institutio communiter quantum ad omnes fiebat per Circumcisionem, sine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium: quantum vero ad Sacerdotes, per Sacerdotum consecrationem.*

13. Sed rem faciunt certissimam Concilia Florentinum, et Tridentinum. Illud in decreto pro instructione Armenorum, ait: Sacramenta nostra plurimum a Sacramentis veteris legis discrepare, maxime ex eo, quod gratiam in se praecontineant, eumque ex opere operato producant: e contra vero illa eamdem per Passionem Christi dandam praefigurabant. Et Concilium Tridentinum sess. VII. can. II. ut supra (§. 9). decrevit: *Si quis dixerit ea ipsa novae legis Sacra-*

menta a Sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia coeromoniae sunt aliae, et alii ritus externi; anathema sit. Ergo utrumque Concilium agnoscit Sacramenta veteris legis.

PROPOSITIO II.

Certum videtur, quod etiam in statu naturae, saltem pro adultis, fuerint Sacramenta.

14. *Prob.* ex Scriptura. Geneseos cap. VIII. habemus, quod Noe egressus ab arca extruxit altare, et obtulit Deo holocausta pro gratiarum actione, quibus Deus placatus est. Sed nullius creaturae virtute, et meritis Deus placari potest. Ergo ex Divina institutione sacrificia illa figurabant Christum futurum, et illius merita participabant. II. Ibidem cap. XIII. Abraham ex Dei mandato, relicta patria, in Sichem, et Betel sacrificavit Domino. III. Et cap. XV. v. 6. idem Abraham dicitur justificatus: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Et in signum promissae terrae obtulit sacrificium ab ipso Domino designatum (v. 9.) *Sume mihi vaccam triennem, et capram trinam, et arietem annorum trium, turtures quoque, et columbas.* En Divina institutio. Sed quomodo justificatus, nisi per fidem in futurum Messiam? IV. Item cap. XVII. v. 10. in signum foederis praecipitur circumcisio: *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, et vos, et semen tuum post te: Circumcidetis ex vobis omne masculinum,*

et circumcidetis carnem praeputii vestri , ut sit in signum foederis inter me , et vos. Et ut caetera mittamus ipse Abraham cap. XXI. v. 4. circumcidit Filium suum Isaac. Quis ergo negabit in Circumcisione verum Sacramentum figurans Christi Baptismum ?

15. *Prob.* ex Sanctis Patribus. Et haec est communis doctrina Patrum, quod scilicet saltem pro adultis fuerint Sacramenta in lege naturae : et idem Theologi omnes sentiunt , si paucissimos excipias , inter quos fuit Sotus , Durandus , et Vasquez. Sed pro Sanctis Patribus sufficiunt Augustinus , Cyprianus , et Doctor Angelicus , ut diximus supra (§. 12.)

16. *Prob.* tandem Theologica ratione. Nullus certe dubitat , quin Deus , statim post Adae peccatum , illi adpromiserit humani generis Redemptionem per futurum Messiam faciendam : et inde revelaverit omnia , et praecepta quoque dederit, et docuerit modum , quo illi Religionis cultum tribuerent , ut sic per merita Christi venturi assequi potuissent salutem , ita ut quae deinceps per Moysen , et prophetas praecepit , et revelavit , non fuerint , nisi renovatio et restauratio eorum, quae ab initio revelaverat , et praeceperat , exceptis caeremonis, et ritibus. Sed haec omnia obtineri non poterant sine aliquo sensibili signo ab ipso Deo indicato , et praecepto , quo homines suam significarent fidem in futurum Messiam , quem certe Deus ab initio promisit , et homines tanto desiderio expectabant, et rogabant. *Rorate Coeli desuper et nubes pluant justum. Aperiatur terra , et germinet Salvatorem :* Ergo dicendum , quod a lapsu Adae semper fuerunt Sacramenta.

17. Ex quo Concilium Tridentinum can. II. Sess. VII; ut dictum est (§. 9). definivit, quod Sacramenta novae legis differunt a Sacramentis legis antiquae; inde inquiri solet a Theologis, in quo discrimen istud reponendum sit. Et id quidem non quoad caeremonias, ritus exteriores, et etiam numerum, quia circa omnia ista convenit inter omnes, quod quam maxime ab invicem differunt. Sed controversia versatur circa modum conferendi gratiam. Itaque Doctor Aquinas innixus doctrinae Apostoli, qui ad Galatas cap. IV. v. 9. vocat Sacramenta veteris legis elementa infirma, et egena: *Quomodo convertimini iterum ad infirma, et egena elementa*. Et ad Hebraeos cap. IX. v. 13.: *Si enim Sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*. Et cap. X. v. 4.: *Impossibile enim est, Sanguine taurorum, et hircorum auferri peccata*. Inde ergo S. Doctor existimavit, Sacramenta veteris legis habuisse virtutem conferendi gratiam *ex opere operantis*; scilicet ex merito fidei vel Ministri, vel suscipientis. Hanc sententiam plurimi Theologi sunt secuti, et maxime Eugenius IV., qui in Instructione Armen. loquens de Sacramentis novae legis, ait; *Multum a Sacramentis differunt antiquae legis: illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam digne suscipientibus conferunt.*

18. Sed non desunt, et quidem non pauci, praesertim Hugo a S. Victore, S. Doctor Bonaventura,

et Estius, qui ita exponunt discrimen inter utriusque legis Sacramenta. Mosaica, inquiunt, Sacramenta per se, et primo respiciebant emundationem carnis; sed quia significabant fidem in Christum futurum, idcirco secundario, et quasi per accidens justificabant: ast Sacramenta novae legis primo, et per se ordinata sunt ad gratiam conferendam, et propterea per se justificant. Unde S. Bonaventura in IV. d. q. v. inquit: *Multo probabilius est, quod Magister Hugo posuit, quod cum in illo opere operato esset professio fidei facta, quod ratione fidei conjuctae in illis primo, et per illa (per accidens tamen) justificatio.*

PROPOSITIO III.

Sacramenta novae legis a Christo instituta non sunt plura, nec pauciora, quam septem: scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema unctio, Ordo, et Matrimonium.

19. Haec propositio est de fide. Etenim Concilium Florentinum in instructione Armenorum inquit: *Novae legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema-unctio, Ordo, et Matrimonium . . . Per Baptismum enim spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide; renati autem, et roborati nutrimur Divina Eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per Poenitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam, et corporaliter (prout ani-*

mae expedit) *per Extremam-unctionem : per Ordinem vero Ecclesia gubernatur, et multiplicatur spiritualiter : Per Matrimonium corporaliter augetur.* Et Concilium Tridentinum expresse definivit Sess. VII. can. 1. ut supra §. 9. diximus.

20. *Prob.* I. Ex Scripturis septem, nec plura, nec pauciora sunt signa sensibilia, quae gratiam conferunt. Ergo septem quoque, nec plura, nec pauciora sunt Sacramenta. *Prob. ant.* Et quidem I. de Baptismo sic Christus suis Discipulis praecepit Matth. cap. ultimo v. 18, et seq.: *Data est mihi omnis potestas in Coelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Item Marci cap. XVI. v. 16 idem Christus ait: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et Apostolus ad Ephesios cap. V. v. 25. et. seq. scribit: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Ergo in Baptismate habemus lavacrum sensibile, institutionem divinam, et collationem gratiae.

21. II. De Confirmatione habemus in Actib. Apost. cap. VIII. v. 15., et seq.: *Qui cum venissent*, (Petrus, et Ioannes in Samariam) *oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum, non dum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* En signum sensibile in impositione manuum, gratia Spiritus Sancti, et sine dubio Christi institutio.

22. III. De Eucharistia Joannis cap. XX. v. 51 Christus ait: *Ego sum panis vivus, qui de Coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita . . . Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam aeternam.*

23. IV. Item Joannis cap. XX. v. 21. Christus ait Discipulis. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Insuflavit, et dixit eis. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* En Sacramentum Poenitentiae.

24. V. De Extrema unctione sic scribit Jacobus in sua Epist. cap. V. v. 14. et seq. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum unguentes cum oleo in nomine Domini: Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.*

25. VI. De Sacramento Ordinis, sic Apostolus hortatur Timotheum in sua priori Epist. ad eumdem cap. IV. v. 14.: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*. Et in Epist. II. cap. I. v. 6.: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.*

26. Tandem de Matrimonio, quod sit verum Sacramentum, habemus Matth. cap. XIX. v. 6. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Quinimo

Apostolus ad Ephesios cap. V. v. 31. postquam dixit: *propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae*, appellat magnum hoc Sacramentum: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.*

27. Libenter omittimus auctoritatem Sanctorum Patrum, propterea quod, cum Ecclesia universalis a suis usque primordiis, ita semper docuerit, et in praxi habuerit, ita ut dubitari non liceat de vera praescriptione, per se patet, quod nullus fuerit, qui ita non senserit, et pro certo posuerit. Sed quia Novatores semper in suis erroribus patrocinium invocant maximi Doctoris Augustini, non pigeat hujus solius aliqua verba afferre. Itaque S. Doctor sic loquitur de Baptismo, Eucharistia, Poenitentia, et Extrema unctione in lib. V. *de Bapt.* Cap. XX. *Si ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio*, Deus peccatorem non audit, *quomodo audit homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur?* Et in lib. II. contra litteras Petiliani cap. 104. sic scribit de Sacramento Confirmationis: *In hoc unguento Sacramentum Chrismatis vultis interpetrari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* De ordinis autem Sacramento in lib. II. contra epistolas Parmeniani eodem modo loquitur, ac de Baptismo; etenim ait: *Utrumque enim Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in Catholica Ecclesia utrumque non iteratur.*

28. Confirmatur ratione theologica. Nulli dubium, quod non parva analogia est inter vitam carnalem et mortalem, ac spiritualem et aeternam. Sed ad illam septem necessaria sunt: scilicet, ut homo in lucem edatur, augeatur, alatur, si in morbum incidat, sanetur, imbecillitas virium reficiatur: deinde, quod ad rempublicam attinet, ut Magistratus nunquam desint, quorum auctoritate, et imperio regatur; ac postremo legitima sobolis propagatione, seipsum, et humanum genus conservet (Catech. Rom. par. II. de Sacram. in gen. n. 20.) Ergo septem pariter requiruntur pro vita spirituali, et eterna. Videlicet, Baptismus, veluti caeterorum janua, quo Christo renascimur. Deinde confirmatio, cujus virtute fit, ut Divina gratia augeamur et roboremur; baptizatis enim jam Apostolis, ut Divus Augustinus testatur, inquit Dominus: *Sedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto*. Tum Eucharistia, qua, tanquam cibo vere Coelesti, Spiritus noster alitur, et substinetur: de ea enim dictum est a Salvatore, *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus*. Sequitur quarto loco Poenitentia, cujus ope sanitas amissa restituitur, postquam peccati vulnera accepimus. Postea vero Extrema-unctio, qua peccatorum reliquiae tolluntur, et animi virtutes recreantur; si quidem Divus Jacobus, cum de hoc Sacramento loqueretur, ita testatus est: *et si in peccatis sit remittentur ei*. Sequitur ordo, quo publica Sacramentorum ministeria perpetuo in Ecclesia exercendi, sacrasque omnes functiones exequendi potestas traditur. Postremo additur Matrimonium, ut ex maris, et Foemi-

nae legitima, et sancta conjunctione, filii ad Dei cultum, et humani generis conservationem procreentur, et religiose educentur (ibidem n. 21.)

29. Item Sacramenta non solum instituta sunt ad Dei cultum, sed etiam ad hominum sanctificationem, per remissionem peccatorum. Sed ad hoc septem sunt necessaria. Ergo etc. *Prob. min.* ex divo Thoma, qui quaest. 65. art. 1. ait: *Ex his etiam patet Sacramentorum numerus, secundum quod ordinantur contra defectum peccati. Nam Baptismus ordinatur contra carentiam vitae spiritualis: confirmatio contra infirmitatem animi quae in nuper natis invenitur Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum: Poenitentia contra actuale peccatum post Baptismum commissum. Extrema-unctio contra reliquias peccatorum, quae scilicet non sunt sufficienter per Poenitentiam sublatae, aut ex negligentia, aut ex ignorantia: Ordo, contra dissolutionem multitudinis; Matrimonium, in remedium contra concupiscentiam personalem, et contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit.*

Solvuntur objectiones.

30. Innumera, quae objici solent contra nostram catholicam veritatem de septenario numero Sacramentorum, duplicis generis sunt. Multa nimis Novatores adducunt, praesertim ex Sanctis Patribus, ad hunc numerum minuendum; et nonnulla ad augendum ab aliis afferuntur. Novatores maxime abutuntur auctoritate Ambrosii,

Gregorii Magni, et Doctoris Augustini. Itaque dicunt I. S. Ambrosius, etsi non minus quam sex libros scripserit de Sacramentis, et in lib. VI. cap. II. n. 5. dixerit: *Ergo accepisti de Sacramentis, plenissime cognovisti omnia*: attamen non plura, quam duo, aut tria, dicit fuisse a Christo instituta. II. S. Gregorius Magnus in suo Sacramentario, apud Gratianum *Multi Saecularium*, tria tantum commemorat: scilicet Baptismum, Chrisma et Corpus, ac Sanguinem Domini. III. Augustinus duo constanter asserit, videlicet Baptismum, et Eucharistiam. Etenim in enarr. I. in psal. CIII. v. 14. ait: *Quid est, quod occultum est, et non publicum in Ecclesia? Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiae. Opera enim nostra bona vident et Pagani, Sacramenta vero occultantur illis.* Et in lib. III. *de Doctrina Christiana* cap. IX. camparans Sacramenta legis Evangelicae cum Sacramentis legis Antiquae, dicit: *Quaedam pauca pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima ipse Dominus, et Apostolica tradidit disciplina, sicut est Baptismi Sacramentum, et celebratio Corporis; et Sanguinis Domini.* Ergo etc.

℞. Et quidem primo pro generali responsione ad omnia, quae ex Ss. Patribus adduci solent a Novatoribus pro minori numero, quam septenario Sacramentorum, dicimus, quod nusquam ex instituto Sancti Patres egerunt de omnibus Sacramentis novae legis, et propterea de illis tantum locuti sunt, de quibus se praebuit occasio, quin ita alia excluserint. Et quoniam

nec eadem fuit omnibus occasio, idcirco alii de aliis mentionem fecerunt. Ast si omnia simul uniantur, luculentissime patet, quod nostrum septenarium numerum conficiunt.

Ad S. Ambrosium autem, quod spectat, ipse de professo scribebat ad Catechumenos, ut instrueret ad digne suscipiendum Baptismum, Confirmationem, et Eucharistiam, quae tunc solemniter conferebantur, quapropter nihil mirum si de his tribus tantum loquitur in objecto loco.

Sanctus Gregorius Magnus scripsit liturgiam celebrationis Missae solemnis, et propterea fuse loquitur de Sacramento Eucharistiae. Et quia exponit etiam ritum administrationis olei infirmorum, ideo mentionem facit Sacramenti Confirmationis. Loquitur autem de Baptismo, quia est janua omnium Sacramentorum, eodem modo, quo omnes ferme Patres faciunt, etsi non de omnibus agant, sed de aliquibus tantum. Caeterum objecta verba, quae a Gratiano referuntur, non sunt S. Gregorii Magni, sed potius S. Isidori Hispalensis (v. Perr. de Sacram. in gen. §. 23. n. 3.).

Tandem quoad Doctorem Augustinum, de quo satis dictum est §. 27, ad primum respondemus, quod prius n. 9. jam dixerat: *Respice ad munera ipsius Ecclesiae. Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in ceteris Sanctis Sacramentis.* Ergo agnovit S. Doctor omnia Ecclesiae Catholicae Sacramenta. Ad II. Si dicit, plura fuisse Sacramenta veteris legis, non inde sequitur, duo, et non septem esse Sacramenta legis Evangelicae. Tandem: Duo solum nominat, scili-

et Baptismum, et Poenitentiam, quia sufficiebant ista duo ad demonstrandam majorem facilitatem nostrorum Sacramentorum, qui erat suus scopus.

31. Hactenus de Novatoribus, qui minuunt Sacramentorum numerum. Sed non desunt, qui augent. Praesertim dicunt, lotionem pedum, quam adhibuit Christus erga Discipulos, habere veram rationem Sacramenti proprie dicti. Etenim ad Sacramentum proprie dictum tria requiruntur, divina institutio, signum sensibile, et collatio divinae gratiae. Sed lotio isthaec utique sensibilis est, et a Christo instituta, quinimo per modum stabilem, quoniam praecepta in posterum facienda, et confert gratiam. Etenim Joan. cap. XIII. v. 8. Petro renuenti, *Non lavabis mihi pedes in aeternum*, Christus respondit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Et v. 14. dixit: *Vos debetis alter alterius lavare pedes . . . Quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Ergo lotio pedum vere numeranda est inter Sacramenta, saltem quae dicuntur vivorum. Et revera talis appellatur a non paucis Patribus, praesertim a SS. Ambrosio, et Bernardo.

℟. Et quidem primo meminerimus opus est, quod nomen Sacramenti duplici modo sumi solet, praesertim ab antiquis Ecclesiasticis Scriptoribus, lato scilicet sensu pro quolibet sensibili signo, quod rem sacram indicat, et stricto jure pro signo, quod ex divina institutione confert gratiam. Inde non mirum, si non raro nomen Sacramenti in priori sensu usurpatum pluribus sacris rebus tributum invenimus. Ergo ad veram rationem Sacramenti, prout nostra controversia procedit, neces-

sario requiritur collatio gratiae, et quidem directe, et modo stabili, et permanenti. Quibus positis, per se patet, quod nullimode veri Sacramenti nomen convenire potest lotioni pedum, etsi facta fuerit a Christo, et etiam sub comminatione poenae Apostolo Petro, qui renuebat, commendata. Etenim comminatio isthaec facta Petro, non est privatio gratiae, quam non reciperet ex lotione, sed potius poena inobedientiae, qui renuebat obtemperare praecepto Domini. Et quoniam ex parte Redemptoris, qui hujusmodi lotionem ministravit, ipsa est signum maximae humilitatis, et singularis fraternae charitatis, idcirco concedimus, quod magni meriti est, quo augetur gratia habitualis; sed ut effectus virtutum, non vero Sacramenti, quod gratiam confert ex opere operato. Quod revera illa lotio fuerit exemplum virtutis, et non verum Sacramentum, luculentissime patet ex verbis Christi ibidem Joan. cap. XIII. v. 14: *Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.*

CAPUT II.

De Sacramentorum Auctore, et Ministris.

Duo in hoc capite nobis praestanda sunt; scilicet I. num solus Christus sit Auctor Sacramentorum. II. quinam sint eorumdem Ministri, quaeque dispositiones in illis requirantur. Quoad primum itaque sit.

PROPOSITIO. IV.

Solus Christus est Auctor novae legis Sacramentorum.

32. Haec propositio ad fidem pertinet, uti habemus ex Concilio Florent. in instructione Armenorum, et ex Trident. Sess. VII. can. I. *Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta .... anathema sit.* Ipsa autem sic probatur ex Scripturis. Apostolus in I. ad Corinth. cap. IV. v. I. ait: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei.* Quod si Apostoli fuerunt tantum Ministri, et dispensatores Mysteriorum Dei, scilicet Sacramentorum, quis, praeter Christum, dici poterit eorumdem auctor? Et quidem de Baptismo, quod est primum omnium Sacramentorum, habemus Matth. cap. XXVIII. v. 19. quod Christus jam a mortuis suscitatus, ait Discipulis: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* II. de Confirmatione Matth. cap. XIV. v. 13. habemus: *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret.* III. De Sacramento poenitentiae Joannis cap. XX. v. 22. Christus ipse ait Discipulis: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* IV. Matth. cap. XXV. v. 26. habemus Eucharistiae institutionem: *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, et ait: Accipite, et comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias*

egit, et dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes: hic est enim Sanguis meus etc. V. Apud Marcum cap. VI. v. 7. Christus *vocavit duodecim: et coepit eos mittere binos, et dabat illis potestatem Spirituum immundorum.* Et inde v. 13. habemus: *Daemonia multa ejiciebant* (discipuli), *et ungebant oleo multos aegros, et sanabant.* Ergo tunc instituit Sacramentum Extremae-unctionis, sicut dicit Jacobus in sua Epist. cap. V. v. 14.: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, et laeviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* VI. De Sacramento Ordinis, duplex est illius potestas, scilicet super corpus Christi Physicum, et super corpus morale. Sed utraque a Christo data fuit Discipulis: prima, cum apud Lucam cap. XXII. v. 19. *Accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Secunda, cum apud Joannem cap. XX. v. 22. dixit Discipulis: *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De Matrimonio tandem Apostolus ad Ephesios cap. V. v. 32. dicit: *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.*

33. Confirmatur breviter Theologica ratione. Vera ratio Sacramentorum est in collatione divinae gratiae, et proprie in ordine ad vitam aeternam. Sed nonnisi solus Deus potest esse auctor gratiae. Ergo nonnisi

Christus verus homo, et verus Deus est auctor Sacramentorum.

34. Unum maxime opponi solet. In scripturis nulla fit mentio de oleo, quo Sacerdotes consecrantur, et Chrisma conficitur; nec de verbis, quibus Sacramenta ista conferuntur. Sed haec, uti materia, et forma, sunt essentialia Sacramentis. Ergo non omnia Sacramenta novae legis fuerunt a Christo instituta.

Huic difficultati respondet Divus Thomas quaest. LXIV. art. II. ad I. scribens. *Dicendum quod illa, quae aguntur in Sacramentis per homines instituta, non sunt de necessitate Sacramenti; sed ad quamdam solemnitatem, quae adhibetur Sacramentis ad excitandam devotionem, et reverentiam in his, qui Sacramenta suscipiunt. Ea vero, quae sunt de necessitate Sacramenti, ab ipso Christo instituta sunt, qui est Deus, et homo. Et licet non sint omnia tradita in Scripturis, habet tamen ea Ecclesia ex familiari Apostolorum traditione: sicut Apostolus dicit* I. *ad Corinth. XI. cetera cum venero, disponam.*

35. Quod ad Sacramentorum Ministros spectat, quoniam protestantes nullam aliam virtutem Sacramentis tribuunt, nisi excitandi fidem, non vero conferendi gratiam, idcirco tenent, Sacramenta ministrari posse a quovis sive clerico, sive etiam foemina, nec non a diabolo, ut dicit Lutherus in Missa privata apud Bellarminum de Sacram. cap. XXIV. n. 2. Contra vero, Donatistae Waldenses, Albigenses, et Hussitae nulla et vana dixerunt Sacramenta ab improbis Ministris con-

fecta, et maxime ab Haereticis. Utrumque oppositum errorem refutabimus. I. propugnando, quod soli homines viatores, ast non omnes indiscriminatim, sunt Sacramentorum Ministri. II. determinando, et stabiliendo quaenam dispositiones in Ministris requirantur.

PROPOSITIO V.

Solus homo, et quidem viator, a Christo institutus fuit Sacramentorum Minister.

36. *Prob.* Apostolus ad Hebraeos cap. V. v. I, scribit. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et Sacrificia pro peccatis.* Ergo soli homines sunt Sacramentorum Ministri. Sed pergens Apostolus rationem adducit, dicens: *Qui condolere possit iis, qui ignorant, et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate: et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.* Sed Beati non amplius circumdati sunt infirmitate, nec amplius necessitatem habent sacrificia offerre pro suis peccatis. Ergo solus viator homo potest esse Sacramentorum Minister.

PROPOSITIO VI.

Excepto Baptismo in casu necessitatis, non quivis homo viator, sed soli a Deo electi, et quidem consecrati, sunt Sacramentorum Ministri.

37. *Prob.* In veteri lege jussu Dei non aliis, quam Aaron, et filiis ejus, datum legimus munus offerendi Sacrificia, ut videre est in toto libro Levitici. Et in libro Exodi cap. XXIX. describitur ritus, quo ex peculiari Dei commisso Moysen consecravit Aaron, et filios ejus: *Et Aron* (sic in v. 4), *et filios ejus applicabis ad ostium Tabernaculi testimonii: cumque laveris Patrem cum filiis suis aqua, induens Aaron vestimentis suis, idest linea, et tunica, et superhumerali, et rationali: quod constringes balteo. Et pones tiaram in capite ejus, et laminam Sanctam super tiaram, et oleum functionis fundes super caput ejus: atque hoc ritu consecrabitur etc.* Ergo ec. Et cum tanto rigore id servatum voluit Deus, ut Paralip. lib. II. cap. XXVI. v. 16. severe puniverit Regem Oziam, qui temere ausus fuit adolere incensum super altare thymiatis: *Elevatum est cor ejus in interitum suum... Ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimque ingressus post eum Azarias Sacerdos, et cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt Regi, atque dixerunt. Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed*

Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium. Egredere de Sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo. Iratusque Ozias tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis. Cumque respexisset eum Azarias Pontifex, et omnes reliqui Sacerdotes viderunt lepram in fronte ejus, et festinato expulerunt eum. Sed et ipse perterritus acceleravit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias Rex leprosus usque ad diem mortis suae, et habitavit in domo separata plenus lepra etc.

38. *Prob.* II. ex novo testamento. Apostolus ad Ephesios cap. IV. v. 7. ait: *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Et v. 11: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, et Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi.* Et hoc ipsum confirmat in I. ad Corinth. cap. XII.

39. Omittimus auctoritatem Sanctorum Patrum, quoniam ab Ecclesiae primordiis haec est constans doctrina et praxis, nec ullum contrarium exemplum fuit unquam: et maxime, quia de fide haec veritas sancita fuit in Concil. Trident. sess. VII. can. X. ut dictum est §. 9. *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem; anathema sit.*

40. Quoad alterum errorem, scilicet circa dispositiones, quae requiruntur in Ministris Sacramentorum. I. itaque contra Donatistas, et Rebaptizantes agendo propugnabimus, quod ad valorem Sacramentorum non necessario requiritur fides in Ministro, nec probitas morum. II. est quod requiritur intentio. Sit itaque

PROPOSITIO VII.

Pro validitate Sacramentorum non absolute requiritur in Ministris fides, neque probitas.

41. Haec propositio est de fide quoad secundam partem, quoad primam vero est de fide tantum respectu Baptismi. Etenim non solum multi Romani Pontifices suo decreto receperunt Baptismum ab Haereticis collatum dummodo ministratum fuerit juxta evangelicam formam, ut fuerunt Stephanus I. Syricius in Epist. ad Hymerium Episcopum Tarraconensem, in qua scribit: *Prima paginae tuae fronte signasti Baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem Catholicam festinare, et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare velle, quod non licet.* Anastasius II. in epist. ad Anastasium Imperatorem, etc. Sed et idem multa Concilia definierunt. Sic Nicaenum I. can. VIII. cum sola manuum impositione recepit Novatianos poenitentes. Arelatense can. VIII. Vetuit rebaptizari aliquos Haereticos, modo baptizati fuerint in nomine SS. Trinitatis: Arelatense II. can. XVII. Capuanum can. XXXVIII, et etc. Sed prae omnibus tandem idem definivit Concilium

Tridentinum sess. VII. can. XII. dicens: *Si quis dixerit, Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum; anathema sit.* Et de Baptismo ibidem can. IV. definivit. *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab Haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum*; anathema sit.

42. *Prob.* ex Scripturis, et ex quo, ut demonstratum est (§. 32) solus Christus est auctor Sacramentorum, et homines Ministri sunt veluti instrumentum, quo Dei gratia confertur. Etenim Joannes cap. I. v. 33 dicit de Christo: *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Et Apostolus in I. ad Corinth. cap. III. v. 7 ait: *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* Ergo improbitas Ministrorum non derogat neque valori Sacramentorum, neque collationi gratiae; quoniam respectu Ministri Sacramenta dici possunt gratiae *gratis datae*, non verum *gratum facientes*; quia potius respiciunt bonum suscipientis, quam conferentis. Et revera Joannes cap. XI. v. 51 dicit de Caipha: *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente.* Procul dubio peccator erat Caiphas, et tamen gratiam prophetandi non amisit. Ergo improbitas Ministri non officit illis, quae sunt sui muneris, quoniam omnis virtus non est a persona Ministri, sed

ex meritis Christi Auctoris Sacramentorum. Et id innuerunt nonnulli peccatores apud Matth. cap. VII. v. 22.: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo Daemonia ejecimus?*

43. *Prob.* ex Divina Traditione. S. Augustinus lib. IV. de Baptis. cap. XXIV. n. 31. hanc primam regulam tradidit pro dignoscenda Divina, et Apostolica traditione: *Quod universa tenet, Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum, certissime, et rectissime creditur.* Sed semper Ecclesiae doctrina, et praxis fuit non rebaptizandi eos, qui forma evangelica baptizati fuerunt ab Haereticis. Ergo etc. Et quidem S. Cyprianus illapsus in errorem Agrippini Episcopi Carthag. sui praedecessoris, cum miserit ad S. Stephanum Roman. Pont. acta Concilii Carthaginensis pro retinenda consuetudine in illa Ecclesia inducta ab Agrippino, scilicet repetendi Baptismum ab Haereticis collatum, Sanctus Pontifex sic respondit: *Non innovetur, nisi quod traditum est, ut manus imponatur in poenitentiam* (sic in Epist. S. Cyp. LXXIV. ad Pompejum). Ergo saeculo III. Ecclesiae doctrina, et praxis, sive Apostolica Traditio, erat pro validitate Baptismi ab haereticis collati.

44. In confirmationem hujus Apostolicae Traditionis unum, et alterum adducimus ex Ss. Patribus, Augustinum scilicet, et Hieronymum. Augustinus lib. II. de Baptismo cap. VII, n. 12. ait: *Nolite ergo nobis auctoritatem objicere Cypriani ad Baptismi repetitionem, sed tenete nobiscum exemplum Cypriani ad*

unitatis exemplum ; nondum enim erat diligenter illa Baptismi quaestio pertractata , sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia . . . Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem. Et S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos ita loquitur adversus Rebaptizantes : *Est praeterea aliud , quod inferemus , adversum quod , ne mutire quidem audeat Hilarius Deucalion orbis: Si enim Haeretici Baptismum non habent , et ideo rebaptizandi ab Ecclesia sunt , quia in Ecclesia non fuerunt , ipse quoque Hilarius non est Christianus ; in ea quippe Ecclesia baptizatus est , quae semper ab Haereticis Baptismum recepit.*

45. Confirmatur theologica ratione. Sacramentorum Auctor est solus Christus , et homines non sunt , nisi dispensatores hujusmodi Christi doni. Ergo non a Ministris , sed a solo Christo Sacramenta suam recipiunt virtutem. Et propterea Ministrorum improbitas non illis officit. Haec ipsa ratio adducitur a Catechismo Rom. part. II. de Sac. in gen. n. 25. *Atque hi quidem Ministri , quoniam in sacra illa functione , non suam , sed Christi personam gerunt , ea re fit , ut sive boni , sive mali sint , modo ea forma , et materia utantur , quam ex Christi instituto semper Ecclesia Catholica servavit , idque facere proponant , quod Ecclesia in ea administratione facit , vere Sacramenta conficiant , et conferant : ita ut gratiae fructum nulla res impedire possit , nisi qui ea suscipiunt , seipsos tanto bono fraudare , et Spiritui Sancto velint obsistere.*

46. Et Sanctus Augustinus in hunc ferme modum argumentatur contra Cresconium lib. III. cap. VIII. *Semina sive puris, sive impuris agricularum manibus terrae mandentur, fructuosa sunt: Ergo etiam Sacramenta sive a justis, sive a peccatoribus fuerint administrata.* Et S. Gregorius Nazianzenus orat. XI. n. 25. dicit: *Sint duo annuli, alter aureus, alter ferreus, atque ambo eamdem Imperatoris imaginem insculptam habeant, ac deinde ceram imprimant. Quid tandem hoc signum ab illo signo differt? Nihil ... Sic tibi quoque omnes, qui baptizandi munere junguntur, idonei habeantur.*

Solvuntur nonnullae objectiones contra primam partem.

47. In canone 45. Apostolorum habemus: *Episcopum, vel Presbyterum, qui Haereticorum Baptismum, vel Sacrificium admiserit, deponi jubemus. Quae est enim conventio Christi cum Belial? Vel quae pars est fideli, cum infideli?* Ergo ex Apostolica traditione, quae est altera nostrae fidei regula, Baptismus ab Haereticis collatus, ut nullus rejiciendus est. II. Et quidem huic Apostolicae traditioni innixus Cyprianus antiquissimus Pater cum tota Ecclesia Africana, et Firmilianus cum Ecclesia Orientali in variis Conciliis definierunt, repetendum esse Baptismum ab Haereticis collatum.

℟. Et quidem ad primum dicimus, quod non constat de Canonicitate illorum Canonum. Etenim Natalis Alexander dissert. XXIII. tertii saeculi illos potius tri-

buit Synodo Iconiensi, quae reprobata fuit, propterea quod docuit errorem rebaptizandi etc. sicut etiam rejectae fuerunt ceterae Synodi adunatae a Cypriano, et Firmiliano, scilicet Synnadensis, et Carthaginenses I. II. et III. Itaque Natalis Alexander dicit: *In quo suum, et Africanorum, de rebaptizandis Haereticis errorem vindicatum fuisse, Firmilianus in Epistola ad S. Cyprianum testatur: Decreta autem Synodi Jconiensis transcripsit, qui collectionem eorum canonum adornavit in Oriente, quos inscripsit Apostolicos.* Et idipsum tenent gravissimi Auctores. Et ratio potissima est, quia si revera Apostolici fuissent, certo pro sua causa adhibuissent Cyprianus, et Firmilianus, id quod non fecerunt. Sed dato, et non concesso, quod hujusmodi canones genuini sint, tunc dicimus, quod objectus canon 45. vel intelligendus est de Baptismo in forma essentialiter deflorato, vel de iis qui imprudentissime illud recipiunt ab Haereticis, cum facile potuissent recipere a Catholicis.

Et inde patet responsio ad secundum. Etenim S. Cyprianus non secutus veram Apostolicam Traditionem, quae erat apud Ecclesiam Romanam, ut demonstratum est; pro vera traditione sustinere conabatur consuetudinem, et praxim in Carthaginensem Ecclesiam inductam a suo antecessore Agrippino, et ita etiam Firmilianus cum Ecclesia Orientali.

Solvuntur objectiones contra alteram partem.

48. Ob. Proverb. cap. XV. v. 8. habemus: *Victimae impiorum abominabiles Domino.* Ergo Eucharistia consecrata, et ministrata ab impiis Sacerdotibus, abominabilis est Deo, et propterea rationem non habet nec Sacrificii, nec Sacramenti. II. Joannis cap. IX. v. 31. scriptum est: *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit.* Sed Sacramenta ordinata sunt ad impetrandam a Deo coelestem gratiam. Ergo vana, et irrita sunt illa, quae a Ministris peccatoribus vel conficiuntur, vel ministrantur. III. Matth. cap. VII. v. 18. Christus ait: *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Ergo Ministri mali non possunt conficere, et ministrare Sacramenta, quae sunt bona. IV. Joannis cap. XX. v. 22. Christus conferens Discipulis potestatem remittendi peccata, dixit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo ut valide Sacerdotes ministrent Sacramentum Poenitentiae, secum habere debent Spiritum Sanctum, scilicet esse debent in gratia. V. Et his omnibus accedit ratio Theologica. Etenim si ex doctrina Christi (Joann. cap. VIII. v. 14.) Peccatores sunt filii Diaboli; *Vos ex patre Diabolo estis*; quomodo possunt Sacerdotes peccatores per Sacramenta aedificare Ecclesiam Christi?

℟. Et quidem primo generatim dicimus, quod saepe in hoc negotio Scripturae, et saepius Sancti Patres non loquuntur de validitate, quam Sacramenta non re-

cipiunt a meritis, et sanctitate Ministrorum, sed a meritis et Sanctitate Christi; nec proprie, et directe instituta sunt in beneficium Ministrorum, sed veluti gratiae *gratis datae*, non vero *gratum facientes*, data sunt in bonum Ecclesiae. Sed potius, inquam, Scripturae, et Patres interpretandi sunt de licita administratione, quam nos quoque abominabilem dicimus coram Deo, et fatemur, quod Sacerdotes, qui in peccato mortali Sacramenta conficiunt, graviter peccant, et sacrilege se gerunt.

Itaque ad verba Proverbiorum dicimus, quod victimae impiorum non per se abominabiles erant Deo, sed ex prava dispositione eorum, qui illas offerebant, ex quo fiebat, ut non placarent Deum, sed potius magis irritarent novis peccatis, et sacrilegiis, sicut evenit etiam in nova legis gratiae sacrilege conficientibus, aut suscipientibus Sacramenta.

Verba autem Joannis ad rem non faciunt, quoniam in eo loco non est sermo de Sacramentis, sed de orationibus, et petitionibus, quae dicuntur non audiri a Deo, quoties fiunt a peccatoribus non poenitentibus.

Ad tertium. Utique sicut arbor mala non potest facere fructus bonos, ita homines dum sunt mali, non possunt facere ex se opera moraliter bona. Sed quoniam acramenta non sunt opera hominum, sed solius Dei, et directa sunt ad bonum Ecclesiae, quae est mysticum Christi corpus, idcirco sunt semper bona, nec unquam corrumpuntur malitia Ministrorum.

Ad quartum respondemus, quod utique potestas remittendi peccata est virtus Dei, sive Spiritus Sancti.

Ast virtus ista, sive Spiritus Sanctus, quia a Christo data in bonum Ecclesiae, utique semper manet in Ministris, si non illos sanctificans, per eosdem tamen operans, et suum producens effectum, dummodo dispositionem invenit in suscipientibus. Itaque ex objectis Christi verbis hoc unum fas est deducere, scilicet, quod potestas remittendi peccata non est a virtute humana Ministrorum, sed Divina.

Ad ultimum. Utique Ministri peccatores sunt filii Diaboli, sed id respectu operum suorum, non vero Sacramentorum, quae sunt opera Christi. Nunquid medicina sua virtute privabitur, ex quo infirma manu ministratur Medicorum? Meminerint adversarii, quod Sacramenta non sunt opera hominum, sed divina, et propterea suum effectum non producunt ex virtute Ministri, sed Christi, qui solus est illorum auctor: Ergo licet Ministri sint peccatores, bene tamen possunt aedificare Christi Ecclesiam, quoties rite adhibent Sacramenta, quae sunt optima materialia pro ista aedificatione.

49. Vindicata Catholicae Ecclesiae doctrina de validitate Sacramentorum, etsi conferantur a Ministris haereticis, et peccatoribus, I. scilicet contra errorem Cypriani, et Firmiliani, qui sustinebant, repetendum esse Baptismum ab Haereticis collatum; et II. praesertim contra Donatistas sectatores utriusque Donati, alterius saeculo IV. Episcopi Numidiae, et alterius Episcopi Carthaginensis, qui dicebant, invalide a ministris improbis Sacramenta confici, et conferri: alterum nunc dogma, non minoris momenti, firmandum opus est

contra Novatores. Hi quippe, quoniam, ut diximus, non aliam virtutem agnoscebant in Sacramentis, nisi excitandi fidem, indè necessario inferre debebant, quod nulla intentio requiritur in Ministris, cum illa conficiunt, aut conferunt. Contra istos itaque agentes, ut recte procedat disputatio, dicendum quid, et quotuplex sit intentio.

50. Intentio est animi deliberatio aliquid faciendi. In re autem nostra, est deliberatio faciendi rem sacram a Christo institutam, aut saltem, quod facit Ecclesia. Varias divisiones sortitur intentio. Sed nobis sufficiunt exterior, et interior, actualis, et habitualis. Intentio dicitur exterior, cum respicit solùm externam rem sacram, saltem semper cum voluntate faciendi, quod facit Ecclesia. Erit autem interior, si respicit etiam interiorem naturam rei sacrae, sive cum agens intendit conficere, et conferre Sacramentum. Intentio autem erit actualis, cum actu quis, sive exterius, sive interius intendit facere rem sacram. Et habitualis definitur per intentionem actualem praeteritam non retractatam.

51. Duplex inde habetur controversia, altera scilicet inter Catholicos, et Protestantes, et altera inter Theologos Catholicos: illa procedit de intentione exteriori, et quidem saltem habituali, id quod affirmant Catholici, et negant Protestantes: et haec respicit intentionem interiorem. Nos autem brevitatis causa, relicta ista scholasticis, ita illam determinamus.

PROPOSITIO VIII.

In Ministris Sacramentorum necessario requiritur intentio, saltem faciendi, quod facit Ecclesia.

52 De fide est nostra propositio. Etenim Alexander VIII. in Congregatione habita die 7. octobris 1690 hanc damnavit propositionem : *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo facere, quod facit Ecclesia.* II. Concilium Florentinum sub Eugenio IV. in instructione Armenorum sic loquitur : *Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tanquam forma, et persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia : quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* III. Sed solemniter hoc dogma definitum fuit a Concilio Tridentino sess. VII. can. XI.: *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit.*

53. *Prob.* ex Scripturis. Lucae cap. XXII. v. 19. Christus tradens Apostolis potestatem conficiendi Eucharistiam, ait : *Hoc facite in meam commemorationem.* Nunquid sine memoria, et cogitatione de Christo, poterit Minister id facere in Christi commemorationem? Nonne id implicat in terminis? Joannis cap. XX. v.

23. Christus poenitentiae Sacramentum instituens, ait Discipulis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quis dixerit hujusmodi judiciariam potestatem exerceri posse sine discretione, advertentia, et voluntate deliberata vere peccata remittendi? Nunquid solus sonus vocis, sine voluntate producet effectum? Sed si soli homines sunt Ministri Sacramentorum, quomodo, nisi humano modo illa valide conficiunt, et conferunt? De Sacramento Extremae unctionis habemus in Epist. Jacobi cap. V. v. 14.: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes cum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum.* Poterit ne exaudiri a Deo oratio illius, qui nequidem advertit, quid facit, nec quid petit? In epistola I. ad Corinth. cap. IV. v. I. Apostolus appellat Ministros Sacramentorum. *Ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei.* Sed pudet longius refellere hujusmodi errorem Protestantium, qui in re tam seria, et necessaria, praetendunt, homines bene, et utiliter agere, non humano modo agentes; et Deum delectari, et placari vacuo signo, et voce, sine corde, et mente.

Solvuntur nonnullae objectiones.

54. Geneseos cap. XXVII. legimus, quod Isaac sine intentione benedixit Jacob, quinimo intentione contraria, scilicet benedicendi Esau: et tamen hujusmodi benedictio accepta fuit Deo, et suum effectum sortita est. Ergo suum quoque effectum sortiuntur Sa-

cramenta, etsi sine intentione conferantur. II. Exodi cap. IV. v. 25. Sephora Moysis conjux sine intentione, quinimo contra voluntatem, circumcidit filium suum primogenitum: *Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit praeputium filii sui, tetigitque pedes ejus, et ait: Sponsus sanguinem tu mihi es.* Et nihilominus rata fuit hujusmodi circumcisio. Similiter ergo dicendum est de nostris Sacramentis. III. Et quidem Rufinus, aliique Historici referunt, Alexandrum Episcopum Alexandrinum ratum habuisse Baptismum ludicre collatum a puero Athanasio aliis pueris. Sed quae intentio Ministri potuit esse in hoc Baptismate? Ergo etc.

℟. Et ad primum dicimus, quod tametsi benedictio Isaac non fuerit Sacramentum, attamen intentio fuit benedicendi, et quidem filium presentem, et error fuit solum circa circumstantiam primogeniti. Ergo admittimus, quod similiter validum est Sacramentum vera intentione confectum, aut collatum, etsi erret minister quoad circumstantias non essentiales, puta, cujus quantitatis sit panis, et vinum, num Petrus, aut Joannes sit, cui Sacramentum Baptismi ministrat, aut Sacramentalem absolutionem impertitur, aut Sacramenta Confirmationis, extremae unctionis etc. Caeterum notandum quod detecto errore, Isaac, adorans absconditum Dei consilium, ratam habuit, et confirmavit benedictionem Jacobo datam: etenim ibidem v. 33. ait: *Benedixique ei et erit benedictus.* Et v. 37. respondit ad Esau. *Dominum tuum illum constitui, et omnes fratres ejus servituti illius subjugavi: frumento, et vino stabilivi eum, et tibi post haec, Fili mi, ultra*

quid faciam? Non mirum ergo, si post talem confirmationem, detecto jam errore, benedictio Isaaci suum effectum sortita est.

Ad secundum. Etsi Sophora perterrita a comminatione Angeli, et cum repugnantia, propter maternum amorem, circumcidit filium suum, veram tamen intentionem habuit satisfaciendi praecepto Domini: Quod utique sufficit ad valorem Sacramentorum, Quinimo majus inde erit meritum Ministris.

Tandem quod Baptismum collatum a puero Athanasio, dicimus, quod tunc Alexander Episcopus illud ratum habuit, cum certus factus est de vera intentione Athanasii faciendi, quod facit Ecclesia. Et id asseritur ab iisdem Scriptoribus, qui factum narrant, scilicet Rufino, Socrate, et Sozomeno.

CAPUT III.

De essentia, et partibus, quibus constant Sacramenta.

55. Quia, ut diximus §. 3. ex quo non convenit inter nos, et Novatores de justificatione hominis, nullimode etiam convenire potest de Sacramentorum definitione: per se patet nunc, quod nec convenire potest de eorumdem Sacramentorum essentia, quoniam definitio, ut recta sit, debet exprimere rei essentiam. Nihilominus ex vindicatione partium, quas necessarias Ecclesia Catholica in Sacramentis novae legis agnoscit, opus est Adversarios urgere. Itaque duas partes Ecclesia Catholica agnoscit necessarias in Sacramentis, formam scilicet,

et materiam. Forma sunt verba a Ministro prolata ; et materia , sive elementum , est res sensibilis , quae pro symbolo adhibetur : unde pervulgatum habemus illud Augustini tract. VIII. in Joannem : *Accedit verbum ad elementum , et fit Sacramentum.* De his ergo in hoc capite agemus.

56. Sed primo notandum , quod materia duplex esse potest , scilicet vel physica , vel moralis. Sic aqua est materia phisica Sacramenti Baptismi, et actus poenitentis sunt materia moralis Sacramenti Poenitentiae. Item vel est in individuo determinata ab Auctore Sacramentorum Christo , uti aqua in Baptismo , *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* vel generatim ut ab Ecclesia determinaretur , sicut in Sacramento Ordinis, et Matrimonii.

II. Item forma quandoque est explicita , ut in Baptismate. *Ego te baptizo in nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti ;* et quandoque implicita , ut in Sacramento Matrimonii , si nutibus , et non verbis suum consensum praebeant contrahentes. Et haec pariter vel fuit a Christo determinata , uti est forma Baptismatis : *Euntes ergo docete omnes gentes , baptizantes eos in nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti* (Matth. cap. ult. v. 19); vel Ecclesiae reliquit determinandam , ut in confirmatione , ordinatione , extrema unctione et matrimonio.

57. Quae ad formam , et materiam sigillatim pertinent , videbimus in altera parte : nunc error refutandus est Haereticorum. Etenim cum Protestantes teneant, hominem non interius justificari , sed exterius tantum per appropriationem justitiae Christi , quae apprehendi-

tur per fidem, sive fiduciam; idcirco negant Sacramentis virtutem conferendi gratiam, et dicunt, ea non ad aliud inservire, nisi ad excitandam fidem, quae est fiducia in Dei promissis. Et inde factum est, ut Lutherani dicant, verba, sive formam Sacramentorum esse dumtaxat promissoria, et Calvinistae dicant esse quoque concionatoria ordinata ad fideles instruendos, et ad explanandam fidem promissionum. Paucis verbis. Verba, quae constituunt formam Sacramentorum, per Protestantes ad hoc unum inserviunt, scilicet vel ad sustinendam, vel etiam ad excitandam fidem promissionum. Contra vero Ecclesia Catholica tenet, verba Sacramentorum esse consegratoria, et divina virtute sibi communicata revera conferre gratiam, quam significant. Hisce praenotatis, sit

PROPOSITIO VIII.

Sacramenta novae legis essentialiter constant materia, et forma a Christo vel immediate determinatis, vel determinatis ab Ecclesia.

58. *Prob.* I. quoad primam partem. Joannis cap. III. v. 5. habemus de Baptismo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest etc.* Ergo aqua est materia essentialis Baptismi a Christo determinata. Matth. cap. XXVI. v. 2. de Eucharistia scriptum est: *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, et ait: accipite, et comedite, hoc est*

corpus meum etc. Ergo panis, et vinum sunt materia pars necessaria Eucharistiae a Christo determinata. Joannis cap. XX. v. 22. Sic instituit Sacramentum Poenitentiae: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ergo confessio peccatorum est materia hujus Sacramenti. Jacobi cap. V. v. 14 habemus oleum designatum pro materia Extremae unctionis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Ceterorum Sacramentorum certe Christus Ecclesiae fecit potestatem determinandi materiam. Etenim cum Sacramenta, ex eo quod conferunt gratiam, ad ordinem pertineant supernaturalem, solus Deus potest esse auctor illorum. Et nos jam supra §. 39. demonstravimus, quod solus Christus est novae legis Sacramentorum auctor. Et haec quoque est communis doctrina Ss. Patrum.

59. *Prob.* II. quoad formam, sive verba. Matth. cap. XXVIII. v. 19. Christus a morte suscitatus dixit Apostolis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* En ergo forma a Christo determinata. De Eucharistia item a Christo determinata fuit forma. Etenim Lucae cap. XXII. v. 19. habemus: *Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Actorum cap. VII. v. 15. de Confirmatione habemus: *Qui* (Petrus, et Joannes) *cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum.* Quis in o-

ratione illa non videt formam ? Et in Epist. Jacobi cap. V. v. 14. similiter Presbyteri orantes debent conficere Sacramentum Extremae unctionis : *Infirmatur quis in vobis ? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes cum oleo in nomine Domini.* Idipsum dicendum de ceteris, ut fusius suo loco, licet potestatem determinandi verba Christus tradiderit Ecclesiae.

60. Et haec est doctrina communis Sanctorum Patrum, quorum multi tractant de Sacramentorum forma et materia. Et Hyeronimus in cap. LVIII. Isaiae, et Ambrosius in caput IV. Epist. I. ad Timoth. dicunt, Sacramentum Ordinis conferri per verba deprecatoria. Et Alexander III. dixit, Matrimonium confici consensu Contrahentium viva voce, vel saltem nutibus, expresso. Nihil dicimus de Sancto Augustino, qui, ut diximus, tractatu VIII. in Joannem, ait : *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.*

61. Tandem Concilium Florentinum in decreto Eugenii IV. dicit de Sacramentis : *Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et Persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia ; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Et catechismus Rom. part. II. n. 15 : *Duo enim sunt, ex quibus quodlibet Sacramentum conficitur, quorum alterum materiae rationem habet, atque elementum dicitur : alterum formae vim, et verbum communi vocabulo appellatur.*

PROPOSITIO IX.

Verba, quae constituunt formam Sacramentorum novae legis non sunt mere promissoria, ut dicit Lutherus, et eo minus sunt concionatoria, ut contendit Calvinus.

62. *Prob. I. Pars.* Si verba novae legis Sacramentorum essent dumtaxat promissoria, tunc non continerent gratiam, sed solum essent exteriora signa gratiae aliunde acceptae, vel accipiendae. Sed haereticum est hoc dicere. Ergo etc. *Prob. min.* Concilium Tridentinum Sess. VII. can. VI. sic praecisis verbis definivit: *Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae, vel justitiae, et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.* Ergo etc.

63. *Prob. altera pars.* Ex doctrina ipsius Calvini illud de Sacramentis tenendum est, quod ex Scripturis habemus, et juxta doctrinam Catholicorum, quod habemus etiam ex Apostolica traditione. Sed nullibi in Scripturis legimus, quod verba Sacramentorum sint concionatoria ad fideles instruendos, et ad explanandam fidem promissionum. Et quidem de Baptismo, et Eucharistia, de quibus convenit inter nos, et Novatores, sic habemus Joannis cap. III. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest*

introire in regnum Dei. Et Lucae cap. XXII. v. 19: *Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter etc.* Nec ullus unquam ex Sanctis Patribus, ex quorum uniformi doctrina habemus Divinam traditionem, aliquam mentionem facit, quod verba Sacramentorum sint concionatoria, directa scilicet ad instruendos fideles, et illis explanandam fidem promissionum. Sed contra convenit inter omnes, quod, non ponentibus obicem, continent, et conferunt gratiam, quam significant. Ergo verba Sacramentorum non sunt concionatoria.

PROPOSITIO X.

Verba Sacramentorum novae legis sunt consecratoria: scilicet consecrant materiam, et virtute Divina conferunt gratiam, quam significant.

64. *Prob.* Ex superiori propositione verba Sacramentorum novae legis non sunt mere promissoria, nec concionatoria, hoc est, non solum exprimunt divinae gratiae promissionem, et non simpliciter instruunt de hujusmodi promissione. Ergo sunt consecratoria, scilicet consecrando materiam, virtute Divina revera conferunt gratiam, quam significant. Id definitum jam fuit a concilio Tridentino sess. VII. can. VI. (§. sup.) et propterea in Catechismo Rom. part. II. de Sacram. in gen. n. 29. habemus: *At vero Sacramenta novae*

legis ex Christi latere manantia, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundant conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi, atque ita eam gratiam quam significant, Christi Sanguinis virtute operantur.

65. Sed id luculentissime patet ex Scripturis. Etenim de Eucharistia habemus Lucae cap. XXII. v. 19. *Et accepto calice, gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Ergo panis consecratur in corpus Christi, quod datur pro nostra salute. Et sic Joannis cap. VI. v. 51. Christus ait: *Ego sum panis vivus, qui de Coelo descendi: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* De Baptismo autem habemus Marci cap. ult. v. 16: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et Apostolus ad Titum cap. III. v. 5. scribit: *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.* Tandem Petrus Epist. I. cap. III. v. 21. inquit: *Quod et vos nunc similis formae salvos facit Baptisma.* Ergo Baptismus, et verba illius, non solum promittunt gratiam, aut de promissione instruunt, sed reipsa gratiam conferunt vitae aeternae, et propterea consecratoria dicenda sunt. Nihil dicimus de Sacramento Poenitentiae. Etenim si per Sacramentum istud datur Ministris facultas remittendi peccata: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, Joannis cap. XX. v. 23. quomodo illius ver-

ba dici poterunt promissoria gratiae remissionis, aut concionatoria, et non vere remissionem ipsam producentia? De Sacramento Confirmationis per se patet, quod verba formae, quae ab Ecclesia ex commissione Christi ordinata sunt: *Confirmo te Chrismate salutis*, indicant virtutem confirmandi. Omittimus cetera Sacramenta, non solum brevitatis causa, sed praesertim quia non bene de illis sentientes Novatores, nihil de ipsis dicunt.

Solvuntur objectiones.

66. *Ob.* Matth. cap. ultimo v. 19. habemus. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ergo ad validitatem Baptismi requiritur instructio, seu verbum concionatorium.

℟. Procul dubio si Sacramenta pro hominibus rationalibus instituta sunt, modo rationali sunt suscipienda. Et propterea antequam homines illa suscipiant, doceri debent de eorumdem sanctitate, virtute, et effectibus. Et eo vel magis id necessarium est, quia necessaria est Fides, sine qua nemo potest placere Deo. Ast quaestio non est, num necessarium, aut utile sit, ut praecedat instructio, seu verba concionatoria, sed num concionatoria sint verba, quae formam constituunt Sacramentorum. Illud valde bonum, et conveniens dicimus; hoc autem absolute negamus. Diximus *valde bonum*, quia, praesertim in Sacramento Baptismatis, non est essentialiter necessarium, alioquin invalidus esset Baptismus collatus infantibus, quorum actualem fidem supplet Eccle-

sia. Unde in hunc locum dixit Hieronymus: *Ordo perpetuus jussit Apostolis, ut primum docerent omnes gentes, deinde fidei intingerent Sacramento, et post fidem, ac Baptisma, quae essent observanda, praeciperent.*

67. *C.* Atqui verba, quibus confertur Baptismus, sunt concionatoria. Ergo n. r. *Prob.* Apostolus ad Ephesios cap. V. v. 26. dicit. *Mundans* (Ecclesiam) *lavacro aquae in verbo vitae.* Sed verbum est concio. Ergo etc.

℟. *neg. min., et cons.* Allatum Apostoli testimonium mirifice confirmat nostram atholicam doctrinam. Etenim si verbum vitae, quo Christus mundat Ecclesiam, est forma Baptismi: Scilicet; *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ergo verba ista sunt consecratoria, et vera pollent efficacia ad mundandam Ecclesiam. Quod vero Apostolus per *verbum vitae* intelligat nomen Sanctissimae Trinitatis, et non praecedentem instructionem, per se patet, quoniam *verbum vitae* unitur cum *lavacro aquae*, non vero praecedit. Et ita interpretantur multi Sancti Patres, praesertim Chrysostomus, et Anselmus.

68. *C.* Atqui per *verbum vitae* non intelligenda est invocatio Sanctissimae Trinitatis, sed intelligenda sunt verba instructionis, quae lavacrum praecedunt. Ergo etc. *Prob.* Marci cap. ultimo Christus postquam v. 15. dixit. *Praedicate Evangelium omni creaturae*, statim subjungit: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo *per verbum vitae* intelligenda sunt verba concionatoria, quae praecedunt, et ex quibus habetur fides.

℟. Utique Christus mittens Discipulos ad praedicandum Evangelium cunctis gentibus, illis praecipere debuit, ut primum docerent, et ad fidem inducerent; et postea baptizarent, quoniam pro adultis Sacramenta nihil valent sine fide, quae est fundamentum salutis. Et quidem si Sacramenta suam virtutem recipiunt ab Auctore Christo, quomodo illis prodesse poterunt, qui Christum neque cognoscunt, neque in illum credunt? Et id constanter quoque videmus fieri ab Ecclesia. Nunquid exemplum adduci poterit, ut Sacramenta ministraverit, non excluso Baptismo, qui necessarius est necessitate medii, adultis infidelibus, qui Christum non agnoscunt? Ergo fides praecedat necesse est. Quod si absque fide actuali in pueris, illos baptizat, id non sine divina Apostolica traditione facit, et quia de Sacramento absolute necessario agitur, et periculum esse potest, supplet fides Ecclesiae. Ast, iterum dicimus, controversia non est, num necessaria, vel non necessaria sit praecedens concio instructiva, sed num instructiva quoque sint, an vero consecratoria, et efficacia, verba, quae pro forma adhibentur in ipsa confectione, et collatione Sacramentorum. Illud, excepto Baptismo parvulorum, utique concedimus, hoc vero cum Ecclesia Catholica negamus.

69. *C.* Atqui verba, quae in confectione Sacramentorum adhibentur, non sunt consecratoria, et efficacia, sed tantum concionatoria, et instructiva. Ergo etc. *Prob.* Sanctus Augustinus Tract. LXXX. in Joannem dicit: *Unde est tanta virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat? Nisi faciente verbo, non*

quia dicitur, *sed quia creditur.* Ergo fides, quae excitatur per verba concionatoria, homines justificat. II. Et quidem post laudata verba S. Doctor subdit: *Aliud* (est) *virtus manens*, *hoc est verbum fidei quod praedicamus. Unde in Actis Apostolorum, fide mundans corda eorum. Et Petrus Apostolus, sic nos Baptisma salvos facit, non depositio sordium carnis, sed conscientiae bonae interrogatio: hoc est verbum fidei, quod praedicamus.* Ergo fides quae habetur per verba concionatoria, non vero consecratoria, nos salvos facit.

℟. Et quidem ad primum dicimus, quod ex allatis Augustini verbis satis explicatur virtus verbi, quo Baptismus conficitur. Etenim si virtus tribuitur aquae, *Faciente verbo*: ergo verbum est, quod facit, ut aqua mundet, et Baptismus sanctificet. Et id clarissime indicant verba, quae subdit: *Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.* Ex Augustino igitur opus est concludere, quod verbum Baptismi justificat, verum non sonus transiens, et materialis, sed conjunctus cum fide in Christum. Audiatur hac super re Divus Thomas fidelis Augustini interpres, qui quaest. LX. art. VII. ad 1. sic ait: *Verbum operatur in Sacramentis; non quia dicitur, idest non secundum exteriorem sonum vocis, sed quia creditur, idest secundum sensum verborum, quae fide tenentur.*

Ad alterum dicimus, quod nihil aliud S. Doctor vult significare, nisi quod verba, et materia Sacramentorum, et Sacramenta ipsa, suam virtutem reci-

piunt ab Auctore Christo, quam et nos assequimur per fidem in eumdem: et id utique nos concedimus. Sed iterum, atque iterum dicimus, quod controversia non est, num ad participandam Sacramentorum virtutem requiratur fides, sed num verba Sacramentorum ordinata sint ad excitandam fidem, an potius, illa pro certo posita, virtutem sibi a Christo datam in se habeant producendi gratiam, quam significant. Et hoc est, quod dicit Augustinus. Et quidem S. Doctor in lib. III. de Baptismo contra Donatistas dicit: *Non est aqua profana, et adultera, super quam nomen Dei invocatur, etiamsi a profanis, et adulteris invocetur, quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est; Baptismus vero Christi, verbis Evangelicis consecratus, et per adulteros, et in adulteris sanctus est, quamvis illi sint impudici, et immundi, quia ipsa ejus sanctitas pollui non potest, et Sacramento suo digna virtus assistit.*

70. Sed quid dicendum si forma, aut materia immutentur? Dupliciter mutatio ista fieri potest, accidentaliter scilicet, et essentialiter. Mutatio erit accidentalis, cum idem manet sensus verborum, et eadem verificatur materia: contra vero erit essentialis, cum alium sensum exhibent verba, et non amplius habetur determinata substantia. Hac posita distinctione, dicimus, quod accidentalis mutatio non irritum reddit Sacramentum, etsi peccet Minister qui voluntarie, et sine necessitate, sic agit. At non ita, si sermo erit de mutatione essentiali. Et propterea sit.

PROPOSITIO XI.

Mutatio essentialis tam materiae, quam Formae irritum reddit Sacramentum.

71. *Prob.* Quod a Conciliis sancitum est, quodque semper, et constanter Ecclesia servavit, et Patres docuerunt, id ab Apostolica traditione dicendum derivari, quae est altera fidei nostrae regula, ut suo loco demonstratum est. Sed res ita se habet circa essentialem mutationem materiae, et formae Sacramentorum. Ergo etc. Et quidem Concilium Nicaenum primum can. IX. decrevit, recipi Novatianos cum sola manuum impositione, quia baptizati erant cum forma Evangelica; at can. XIX. jussit rebaptizandos Cataphrygas, et Paulianistas, qui baptizati erant cum forma Arianorum, quae erat essentialiter diversa. Item Concilium Arelatense primum can. VIII. pariter praecepit, rebaptizandos Haereticos, qui Baptismum receperant Arianorum. Et Concilium Florentinum in decreto unionis dicit: *Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur: rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.*

72. Quod vero ista fuerit doctrina Patrum, et praxis Ecclesiae, ex quo habetur doctrina revelata voce tradita, patet ex quo ipsi Apostoli semper determinata forma, et materia Sacramenta confecerunt, uti Evan-

gelistae testantur de Baptismo et Eucharistia; Apostolus de consecratione Sacerdotum per impositionem manuum in I. Epist. ad Timoth. cap. IV. v. 14: Jacobus de Sacramento Extremae-unctionis cap. V. v. 14: Et de confirmatione, ut legimus in Actibus Apost. cap. VIII. v. 17.

73. *Conf.* theologica ratione. Forma, et materia Sacramentorum ad eorumdem essentiam pertinent (§. 58). Sed quae alicujus rei essentiam constituunt, nequeunt essentialiter immutari, quin essentialiter quoque immutetur res. Ergo posita essentiali mutatione formae, et materiae, essentialiter quoque mutantur Sacramenta; hoc est, non amplius habentur.

CAPUT IV.

De necessitate Sacramentorum.

74. Quod ad praesentem disputationem pertinet, duplex distinguitur necessitas, alia scilicet medii, et alia praecepti. Erit necessitas medii, cum posito Divino decreto de hominis Redemptione, et salute, nullimode aliter illam assequi possumus. Dicitur autem necessitas praecepti, cum jubemur quidem a Deo aliquid facere, sive aliquod suscipere Sacramentum, sed non ita, ut posita vera rationabili necessitate, graviter peccemus non suscipiendo Sacramentum, aut praeter Sacramenti illius gratiam, privemur quoque gratia habituali, et vita aeterna.

75. Nullum Sacramentum necessarium esse necessi-

tate medii docent, et propugnant Lutherani, et Calvinistae. Et id quidem necessario fluit ex illorum ruinoso principio; quod scilicet per solam fidem, sive fiduciam, assequimur exteriorem, et imputativam justitiam Christi; et quod Sacramenta ad hoc solum instituta sunt, ut excitent, aut significent fidem promissionum. Et haec causa fuit, cur verba, quae sunt forma Sacramentorum, dixerunt mere promissoria, aut etiam concionatoria (§. 65.) Contra istos itaque sit de fide

PROPOSITIO [illegible]II.

Sacramenta novae legis sunt ad salutem necessaria, etsi non omnia omnibus.

76. Haec propositio ad fidem pertinet, quoniam sic definita fuit a Concilio Trident. sess. VII. can. IV. *Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.*

77. *Prob.* Sacramenta novae legis solum Christum, et nullum alium agnoscunt auctorem (prop. IV. §. 32.). Sed impium, et stultum est cogitare, Christum fecisse, commendasse, et praecepisse aliquid non necessarium pro nostra aeterna salute, ob quam solam operatus fuit sanctissimum, et stupendissimum Incarnationis Mysterium. Ergo etc. II. Verba, quae sunt forma Sacramentorum novae legis, non sunt nec promis-

soria juxta Lutherum, nec concionatoria simul juxta Calvinum; sed sunt consecratoria, quia consecrant materiam, et virtute divina conferunt gratiam, quam significant (prop. IX., et X: §§. 62, et 65.). Sed gratia est absolute necessaria pro aeterna salute. Ergo etc.

78. Et quidem Joannis cap. III. v. 5. Christus de Sacramento Baptismi dixit Nicodemo Phariseo: *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo Baptismus absolute necessarius est ad salutem. De Sacramento Eucharistiae apud Joannem ipsum cap. VI. v. 52. Christus dicit: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ... Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Ergo Sacramentum Eucharistiae est ad salutem necessarium: Item Sacramentum Poenitentiae institutum est ad remissionem peccatorum: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (Joann. cap. XX. v. 22). Sed sine remissione peccatorum consequi nullo modo licet salutem aeternam. Ergo etc. Et sic pariter, suo modo, verum est de caeteris Sacramentis. Etenim per Confirmationem corroboramur Spiritus Sancti gratia ad servandum Christi legem, maxime in periculis, et tentationibus, ut tandem coronam accipiamus vitae aeternae. Per Sacramentum Ordinis habemus Christi Mi-

nistros; Et per Extremam unctionem remittuntur reliquiae peccatorum. Et tandem cum Sacramento Matrimonii gratia confertur Parentibus sancte educandi filios in lege Domini. Ergo etc.

PROPOSITIO XIII.

Baptismus pro omnibus, et Poenitentia pro lapsis post Baptismum sunt Sacramenta necessaria, saltem in voto, necessitate medii: caetera vero necessitate praecepti.

79. *Prob. I. Pars.* Joannis cap. III. v. 5. Christus ait de Baptismo: *Amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo Baptismus est necessarius necessitate medii. Similiter de Poenitentia habemus Lucae cap. XIII. v. 3: *Nisi poenitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* Ergo etiam Sacramentum Poenitentiae est necessarium necessitate medii.

80. *Conf. ratione theologica.* Per peccatum primi hominis omnes amisimus originalem justitiam, et statum supernaturalem. Et sola infinita Dei misericordia, per Divini Verbi Incarnationem, postquam inde plene satisfactum fuit Divinae justitiae, iterum status iste beatus fuit humano generi restitutus: et hoc sub apposita conditione, ut per Baptismum, veluti januam, ingrediamur in Christi Ecclesiam, et illius servemus legem. Ergo Baptismus, cunctis, sine ulla exceptione, necessarius est, ut participemus Christi Redemptionem. Sed

quid si homo post acceptum Baptismum libertate abutens, iterum graviter peccet? Numquid iterum Baptismum recipiet, aut suis viribus Divinae justitiae faciet satis? Illud non datum est: alterum pugnat. Ecclesia divinitus edocta, uti fidei dogma sustinet, Baptismum non posse reiterari. Et repugnat, ut Creatura ejusmodi bonum operetur, quo infinitae injuriae Deo allatae per peccatum possit satisfacere. Quid ergo? Numquid sine spe peribit homo lapsus? Scivit misericors, et sapientissimus Deus invenire medium, et dignatus est praebere. Instituit Sacramentum Poenitentiae, et quidem Sacramentum, quod toties potest reiterari, quoties se praebuerit occasio. Ergo sine remissione peccatorum nullimode fas est sperare aeternam salutem; et si pro lapsis post Baptismum nullum aliud datur medium pro remissione peccatorum, quam Sacramentum Poenitentiae, dicendum, quod pro lapsis istis absolute necessarium est Poenitentiae Sacramentum.

81. *Prob. II. pars* Quod autem caetera Sacramenta non ita necessaria sint cuique, sed potius Ecclesiae; id patet ex ipsius Ecclesiae praxi, quae certe suam originem ducit ab Apostolica traditione. Et quidem nusquam Ecclesia extra salutem existimavit pueros praesertim, qui ante aetatem discretionis, aut adultos fatuos, vel furiosos, qui e vita decesserunt, quin Sacramenta receperint Confirmationis, Eucharistiae etc. Et ratio ipsa id evidenter suadet. Etenim secus aut Deus praeciperet impossibilia, aut indigni deberent suscipere Sacramenta. Quippe impossibile est, ut parvuli, et etiam vix in lucem editi, recipiant Eucharistiam, Or-

dinem, et Matrimonium; et ultra modum aut grave, aut absurdum est, ut omnes, et cito matrimonio jungerentur, et Ordinem recipeient. Et maxime indignum est, ut hujusmodi Sacramenta reipsa recipiant, qui aut nesciunt quid faciunt, aut non possunt Sacramentorum munera exercere. Ergo dicendum, quod caetera Sacramenta non sunt omnia, et omnibus absolute necessaria, sed necessaria potius aut ex praecepto, aut Ecclesiae generatim.

Solvuntur nonnullae objectiones.

82. Apostolus ad Rom. cap. V. v. 1. ait: *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Ergo per fidem, non vero per Sacramenta Baptismi, et Poenitentiae justificamur. Et propterea fides, non vero ista Sacramenta sunt necessaria necessitate medii. Et id confirmatur ex v. 10. *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii sui: multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* II. Ipsa Ecclesia Romana tenet, quod per veram contritionem homo justificatur, antequam accipiat Sacramentum vel Baptismi, vel Poenitentiae. Ergo Sacramenta ista non sunt necessaria necessitate medii.

℟. Et quidem ad primum dicimus, quod nulli dubium, quod fides est fundamentum nostrae salutis, ita ut sine fide neque Sacramenta sint aliquid, quoniam nonnisi per fidem participamus, Christi Redemptionem et sine Christo, nihil potest nos justificare. Sed quoniam pro ista participatione Christus ipse praecisis ver-

bis Sacramenta Baptismi, et Poenitentiae veluti medium absolute necessarium proposuit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis etc. Nisi poenitentiam habueritis, omnes simul peribitis*: idcirco media ista, ista Sacramenta, sunt necessaria necessitate medii. Et quia habemus expressam Dei promissionem de illorum effectu, idcirco etiam ex Dei virtute non ponentibus obicem revera producunt nostram justificationem. Verum igitur, quod fides est fundamentum nostrae salutis, quapropter recte dicitur, quod per fidem salvi facti sumus, et verum quoque quod praedicta Sacramenta sunt necessaria necessitate medii, quia nonnisi per ipsa fides salutem operatur.

Ad alterum dicimus, quod est quidem doctrina Catholicorum, adultos per veram fidem justificari, sed quoties tamen in voto habent Sacramentum vel Baptismi, vel Poenitentiae, alioquin conversio nec vera est, nec juvat. Ergo semper verum est, quod haec duo Sacramenta sunt necessaria necessitate medii. Quippe nullatenus fieri potest, ut sine participatione meritorum Christi salvi esse possimus: Et ex praecepto, et dispositione ejusdem Christi non possumus sine istis Sacramentis, ejus merita participare. Ergo ex necessitate medii, illa, saltem in voto, sunt necessaria.

CAPUT V.

De effectibus Sacramentorum.

83. Ex hactenus disputatis patet quae sit controversia inter nos, et Novatores circa effectus Sacramentorum. Etenim si per Novatores sola fides (fiducia) justificat, sive melius, sola fides promissionis efficit, ut exterius nobis imputetur justitia Christi, quin realiter interius innovemur, et justificemur, procul dubio per Novatores ipsos Sacramenta nullam in se justificandi virtutem habent sibi a Christo communicatam; sed solum significant, aut excitant fidem promissionum. Catholici vero contra, qui veram interiorem justificationem tuentur, propugnant quoque, hanc justificandi virtutem revere inesse Sacramentis, ita ut ipsa non ponentibus obicem vere conferant gratiam, quam significant: semper tamen posita fide pro fundamento.

84. Sed priusquam congrediamur cum Novatoribus juvat clarius exponere hac super re doctrinam Ecclesiae Catholicae. Itaque Romana Communio duplicem admittit Sacramentorum effectum, gratiam scilicet sanctificantem, et characterem. Gratia, etsi non eadem, communis tamen est omnibus; sed character est effectus proprius Baptismi, Confirmationis, et Ordinis.

85. Duplex autem distinguitur gratia Sacramentorum, *prima* scilicet, qua homo primo justificatur, idest ex injusto, et inimico Dei, fit justus, et Dei amicus, et *secunda*, qua prima augetur, et homo fit magis

justus, et Dei amicus, juxta illud, *qui justus est, justificetur adhuc.* Illa competit Sacramentis Baptismi, et Poenitentiae, ex quo factum est, ut appellentur Sacramenta mortuorum, ex eo quod homines spiritualiter mortuos ad vitam suscitant: Et haec competit caeteris, unde dicuntur Sacramenta vivorum, quia supponunt jam esse in gratia, qui illa suscipiunt. Insuper, praeter gratiam communem omnibus Sacramentis, alia agnoscitur a Theologis nostris propria cujusque Sacramenti, quae vulgo *Sacramentalis* appellatur, quaeque effectum peculiarem exprimit, in ordine semper ad vitam aeternam, et ad finem cujusque Sacramenti assequendum adjuvat.

86. Character definitur per *signum spirituale indelebile in anima impressum*, quo, ut dicit Divus Thomas III. *P.* qu. 63. art. 3. homines deputantur vel ad recipienda, vel ad tradenda aliis, quae ad Dei cultum pertinent. Et ob hunc indelebilem characterem laudata tria Sacramenta Baptismatis, Confirmationis, et Ordinis, reiterari non possunt.

Duo igitur contra Novatores in hoc capite vindicanda sunt. I. quod Sacramenta novae legis vere continent gratiam, eamque non ponentibus obicem conferunt. II. quod Baptismus, Confirmatio, et Ordo indelebilem imprimunt in anima characterem. Quod si quaeratur cur certe per se conferunt gratiam, et non conferunt ponentibus obicem, responderemus: certo semper per se Sacramenta gratiam conferunt, quia sic manifeste, et sincere promisit Christus homo Deus, et repugnat omnino, ut fidelis ipse non sit in suis promissis. Non conferunt

autem ponentibus obicem, quia in negotio nostrae aeternae salutis Deus omnia disposuit dependenter a nostra libera cooperatione.

PROPOSITIO XIV.

Sacramenta novae legis non sunt nuda externa signa gratiae, vel justitiae per fidem acceptae, neque simplices notae ad discernendos fideles ab infidelibus: sed revera conferunt gratiam, quam significant.

87. Haec propositio pertinet ad fidem. Etenim praetermissa declaratione, et definitione Concilii Florentini, sic de Sacramento Baptismi loquuntur Patres Concilii Tridentini sess. VI. cap. VI. *Hujus justificationis causae sunt, finalis quidem gloria Dei, et Christi, ac vita aeterna: efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito abluit, et sanctificat . . . Meritoria autem, dilectissimus unigenitus suus, Dominus noster Jesus Christus, qui, cum essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno Crucis nobis justificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit: instrumentalis item, Sacramentum Baptismi etc.* Et de omnibus simul ita definiverunt sess. VII. can. VI. *Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae, vel justitiae, et notae quaedam Christia-*

nde professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.

88. *Prob.* Marci cap. XVI. v. 6. Christus ait: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ergo, posita fide, causa salutis est Baptismus. Joannis cap. III. v. 5. Christus ipse dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo Baptismus est causa nostrae regenerationis. Apostolus ad Ephesios cap. V. v. 25. scribit: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Ergo per Baptismum mundamur a sordibus, et habemus vitam. Et ad Titum cap. III. v. 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti.* Et in Actibus Apost. cap. XXII. v. 16. Ananias dixit Paulo: *Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua.* Igitur per Baptismum abluuntur peccata. Idipsum dicendum est de caeteris Sacramentis. Etenim de Confirmatione habemus in Actibus Apostolorum cap. VIII. v. 17.: *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Ergo Sacramentum istud vere confert gratiam Spiritus Sancti. De Eucharistia Joannis cap. VI. v. 55. Christus ait: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam aeternam.* Et de Poenitentia Joan. cap. XX. v. 23. Christus ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis etc.* Sed remissio peccatorum, et vita aeterna sunt maxima gratia. Ergo etc.

89. *Prob.* II. Sed et haec est constans doctrina San-

ctorum Patrum, et usus perpetuus Ecclesiae, unde habemus Apostolicam traditionem, quae est altera fidei nostrae regula. Et sane ex Graecis Basilius Hom. XIII. n. 3. inquit: *Baptismus ergo est peccati mors, animae regeneratio, adoptionis gratia.* Et Gregorius Nissenus in orat. in Christi Baptisma, ait: *Quod si quis mihi rursum dubitando, et ambigendo negotium exhibeat, continenter interrogans; et sciscitans, qua ratione aqua regeneret? dicam optimo jure ad eum: ostende mihi modum nativitatis, quae fit secundum carnem, et tibi vim regenerationis, quae secundum animam fit, exponam.* Ex Latinis autem Tertullianus *lib. de resurrect. carnis*, ita scribit de omnibus Sacramentis: *Caro abluitur, anima emaculetur. Caro ungitur, et anima consecretur. Caro signatur, ut et anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur. Caro corpore, et Sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Et praetermissis caeteris, sic Augustinus tract. LXXX. in Joan. n. 3. interrogans ait: *Unde ista tanta virtus aquae ut corpus tangat, et cor abluat?* Et inde Divus Thomas qu. 62. art. I. inquit: *Augustinus dicit super Joannem, quod aqua Baptismi corpus tangit, et cor abluit: sed cor non abluitur, nisi per gratiam: ergo causat gratiam. Et pari ratione alia Sacramenta Ecclesiae.*

90. Perpetuus autem Ecclesiae usus tutissime arguitur ex Baptismo infantibus collato, quod semper efficax ab Ecclesia habitum est. Nunquid in illis Sacra-

mentum istud fidem excitare valet, aut signum esse justificationis jam per fidem apprehensae? Et id confirmant verba Symboli Concilii Nicaeno-Constantinopolitani: *Confiteor unum Baptismum in remissionem peccatorum.*

Solvuntur nonnullae objectiones.

91. Scripturae constanter justificandi vim soli fidei tribuunt. Ergo Sacramenta non sunt, nisi nuda signa fidei jam acceptae, vel ad summum aliquem vim habent ad excitandam, et corroborandam fidem. Et quidem in Actibus Apostolorum cap. XV. v. 9. Petrus ait: *Fide purificans* (Deus) *corda eorum.* Ergo ex doctrina Principis Apostolorum Deus per fidem purificat, sive justificat corda hominum. Et ut caetera mittantur, sic aperte rem concludit Apostolus ad Hebraeos cap. X. v. 38. *Justus autem meus ex fide vivit, quod si subtraxerit se, non placebit animae meae.*

℟. His, et similibus Sacrae Scripturae locis, in quibus fidei videtur tribui nostra justificatio, jam ex superius dictis §§. 81, et 86. patet responsio. Et quidem si causa meritoria nostrae justificationis est Christus, procul dubio fides in eum est fundamentum nostrae salutis, ita ut sine fide nullimode justificatio haberi possit. At quaestio est, num per se sola fides justificat, an vero ex institutione ipsius Christi aliud aliquid necessario requiritur, quod veluti causa instrumentalis gratiam conferat. Itaque fides juxta doctrinam

Catholicorum est absolute necessaria, et est prima dispositio; sed ex voluntate Christi Reparatoris Sacramenta sunt causa instrumentalis, ita ut sine ipsis, saltem in voto, salus haberi non possit. Et ex inde fit, ut licet Sacramenta suam virtutem habeant ex Christi meritis, et semper proinde ponant pro certo fidem in eumdem, tamen communicatam habeant virtutem justificandi, quoties suscipientes non ponunt obicem. Ergo verum est, quod Deus fide purificat corda hominum, et quod justus ex fide vivit; et verum etiam, quod Sacramenta non sunt nuda signa adeptae justificationis, aut media pro excitanda, et sustinenda fide; sed sunt vera necessaria causa instrumentalis, qua Deus, posita fide, purificat corda, et qua homines ex fide vivunt justi.

92. Altera hic surgit controversia cum Novatoribus, scilicet circa modum, quo Sacramenta novae legis gratiam conferunt. Cathologi, ut habemus ex Concilio Tridentino sess. VII. cap. VII. (§. 86.) dicunt, Sacramenta novae legis esse causam instrumentalem, qua utitur Deus ad nostram justificationem operandam, et ita quidem, ut in illis vera virtus communicata reperiatur homines justificandi, quoties datae dispositiones verificantur, et homines non ponunt obicem. Et primam dispositionem dicunt esse fidem, ita ut sine fide nullimode haberi possint vera, et valida Sacramenta, quoniam ipsa suam virtutem recipiunt a Christi meritis. Et inde factum est, ut a tempore usque Concilii Tridentini Theologi Cathologi ad indicandum modum, quo Sacramenta justificant invexerunt vocabula, *ex opere operato*, *aut ex opere operantis*. *Ex opere operan-*

tis , dicunt egisse Sacramenta veteris legis , ast Sacramenta legis Evangelicae tuentur gratiam conferre *ex opere operato*. Et ita vocabula exponunt.

93. Illud dicitur conferre gratiam *ex opere operato*, quod in se , licet communicatam , veram habet virtutem producendi gratiam , quam significat. Quod si aliqua dispositio praecedat necesse est tam in conferente, quam in suscipiente Sacramenta , dispositio isthaec , dicunt Cathologi , non est causa per se gratiam producens sed potius conditio , *sine qua non*, et inservit ad removendum obicem. Et inde factum est , ut quoties habent necessaria requisita Sacramenta suum producant effectum , quin obsit indignitas Ministri , quia Sacramenta suam virtutem habent ex meritis Christi , non vero Ministri : et ita quidem , ut nec essentialem dicant fidem Ministri in Sacramento Baptismi , quoniam Ecclesia Catholica validum semper habuit Baptismum ab Haereticis collatum , quoties habetur praescripta forma, et materia , et intentio faciendi quod facit Ecclesia.

94. Dicitur autem conferre gratiam *ex opere operantis* illud Sacramentum , quod non ex sui virtute, et efficacia , sed potius ex virtute fidei , spei , charitatis etc. tam suscipientis , quam conferentis , suum sortitur effectum. Et hujus generis dicunt Cathologi fuisse Sacramenta veteris legis , quoniam Sacrificia , oblationes etc. non habebant in se communicatam virtutem justificandi , sed potius erant signa interioris fidei offerentium in Christum venturum.

95. Lutherani , et Calvinistae , nihil dicimus de antiquis Messalianis , et Armenis , proscribunt , et rejici-

unt vocabula *ex opere operato*, non eo quod offendit puritatem latini idiomatis, sed quia contraria sunt suo erroneo systemati circa justificationem. Sola fides (fiducia) per Novatores justificat. Ergo, dicunt, Sacramenta sunt in se vacua signa, et ad aliud non sunt ordinata, nisi ad commemorandas Dei promissiones, aut ad significandam, vel promovendam, et sustinendam fidem promissionis. His praenotatis, sit

PROPOSITIO XV.

Sacramenta novae legis gratiam conferunt ex opere operato.

96. Ad fidem pertinet haec nostra propositio. Etenim Concilium Tridentinum sess. VII. can. VIII. sic definiens dicit: *Si quis dixerit per ipsa novae legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere; anathema sit.*

97. *Prob.* Illud dicitur conferre gratiam *ex opere operato*, quod in se, licet communicatam, veram virtutem habet producendi gratiam (§. 93). Sed Sacramenta novae legis veram in se habent virtutem gratiam conferendi. Et quidem §. 87. et seq. demonstratum est, quod Sacramenta novae legis non sunt nuda externa signa gratiae, vel justitiae per fidem assecutae, sed vere conferunt gratiam, quam significant. II. Sacramenta novae legis si non conferrent gratiam *ex opere operato*, hoc est ex virtute sibi a Christo communicata, procul

dubio vel nullam conferrent, vel conferrent *ex opere operantis* (§. 94); scilicet ex fide, spe, charitate etc. tam suscipientis, quam conferentis. Sed non suscipiunt a fide etc. quia ut demonstratum est prop. VII. §. 41 pro validitate Sacramentorum non absolute requiritur in Ministris fides, neque morum probitas. Ergo etc.

PROPOSITIO XVI.

Tria Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, et Ordo, praeter gratiam, quam conferunt, imprimunt quoque in anima indelebilem Characterem, ex quo fit, ut non possint reiterari.

98. Et haec etiam propositio pertinet ad fidem. Quippe Concilium Florentinum in decreto unionis sic declaravit: *Inter haec Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quae characterem, idest spirituale quoddam signum a caeteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur.* Et Concilium Tridentinum sess. VII. can. IX. sic solemniter definivit: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile; unde ea iterari non possunt; anathema sit.*

99. *Prob.* Ex Scripturis, ex quibus sufficienter haec veritas significatur. Et quidem Apostolus in II. ad Corinth. cap. I. v. 22 ait: *Qui unxit nos Deus; qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus*

nostris. Deinde idem Apost. ad Ephesios cap. I, v. 13. scribit: *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto*. Et ibidem cap. IV. v. 30: *Nolite contristare Spiritum Sanctum; in quo signati estis in die redemptionis*. Quod autem in his locis sacramentalem characterem Apostolus voluerit significare, patet ex eo, quod allatis verbis communiter utuntur Sancti Patres ad characterem ipsum comprobandum.

100. Sed haec ipsa veritas firmissime confirmatur ex Apostolica traditione, quam habemus ex communi doctrina Sanctorum Patrum, et constanti usu Ecclesiae. Et quidem Chrysostomus Hom. II. in Epist. ad Ephesios, Basilius Hom. III. in Sanct. Baptis. n. 5, Epiphanius haeres. V. Gregorius Nazianzenus orat. XL. n. 4, et multi alii vocant hunc characterem sigillum sanctum, et indelebile, cujus exemplum praesertim repetunt a nota sanguinis, qua signatae fuerunt domus Hebraeorum in Ægypto, vel a Circumcisione, qua a caeteris Nationibus distinquebantur Israelitae. Sanctus Ambrosius lib. I *de Spiritu Sancto* cap. VI. n. 79 appellat signaculum spirituale: *Spiritu signamur, ut splendorem, atque imaginem ejus, et gratiam tenere possimus, quod est utique spirituale signaculum*. Et caeteris praetermissis, Sanctus Augustinus passim, et praesertim in tract. VI. in Joannem n. 16. dicit. *Tene ergo quod accepisti, non mutatur, sed agnoscitur: Character est Regis mei, non ero sacrilegus; corrigo desertorem, non immuto characterem*.

101. Quod autem haec ipsa fuerit perpetua, et constans Ecclesiae doctrina patet ex quo nullum exemplum

datum est, ut repetitum fuerit aliquod ex tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, et Ordine, quae characterem imprimere propugnamus. Quinimo Donatistae ipsi, et etiam Cyprianus ea de causa repetendum dicebant Baptismum collatum ab haereticis, quia irritum prorsus existimabant: caeterum ob characterem, qui in Baptismate imprimitur, abhorrebant a nomine rebaptizantium. Concludendum igitur etc.

CAPUT VI.

De ritibus, et caeremoniis Sacramentorum.

102. Quod revera in Ecclesia sit potestas ea instituendi, et praecipiendi, quae pertinent ad Sacramentorum administrationem, quae scilicet, salva illorum essentia, secundum varias circumstantias videntur majoris decoris Sacramentis, et uberioris utilitatis fidelibus, id declaraverunt Patres Concilii Tridentini sess. XXI. cap II. *Praeterea declarat* (S. Synodus) *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire judicaret.* Quod autem inter ista principem locum teneant ritus, et caeremoniae per se res est perspicua. Etenim si in civilibus festis peragendis, seriis rebus pertractandis, aut muneribus, ac potestatibus conferendis, ut major veneratio, et auctoritas concilie-

tur, diligens ordo praescribitur, quanto magis hoc ipsum necessarium, et utile non erit in administratione, aut confectione Sacramentorum pro declaranda sanctitate illorum, et promovenda utilitate suscipientium? Et tamen adversus rem tam seriam, tam sanctam, et tam nobis necessariam suum venenum spargere ausi sunt Novatores. Et eo temeritatis, praesertim Calvinistae, devenerunt, ut quoscumque ritus, et caeremonias contempserint Sacramentorum, et dixerint, quod pro lubito vel omitti, vel immutari possunt a Ministris. Contra ipsos itaque sit

PROPOSITIO XVII.

Recepti, et approbati Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione non possunt sine peccato vel contemni, vel pro libito omitti, vel per quemcumque Ecclesiarum pastorem in alios immutari.

103. Haec propositio tota pertinet ad fidem, quoniam ad verbum definita fuit a Concilio Trident. sess. VII. can. XIII. *Si quis dixerit, receptos, et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit.* Nec mirum videri debet, si ita solemniter oppositus error Protestantium a Concilio damnatus fuit, quoniam directe ipse impetit auctoritatem Ecclesiae eidem a Christo tributam hujusmodi ritus, et caeremonias instituendi. Quia

igitur ex revelatione divina constat de hac Ecclesiae potestate, idcirco ut objectum fidei definita fuit nostra propositio. Ergo nostrum est hoc potius demonstrare, quod scilicet ex jure Divino hac potestate gaudet Ecclesia.

104. Et quidem I. id constat ex verbis Apostoli in prima ad Corint. cap. XI. v. 34. *Caetera cum venero disponam.* Procul dubio in hoc capite multa disserit Apostolus, quae ad Eucharistiam essentialiter pertinent. Ergo caetera quae dicit, se coram dispositurum non ad essentiam pertinent Eucharistiae, sed potius ad ritus, et caeremonias. Et ita quidem hunc locum interpretatur Augustinus in Epist. LIV. ad Januarium cap. VI. n. 8. dicens: *Unde intelligi datur (quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia) hoc ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur.* Secundo constat ex eo, quod ab exordio Christianae religionis semper ritus, et caeremoniae religiose servatae fuerint, et quidem ab Ecclesia institutae, in Sacramentorum confectione, et ministratione. Tertio: et id confirmatur ex constitutionibus, quae Apostolicae nuncupantur, et item ex antiquissimis liturgiis totius Ecclesiae.

105. Tandem id clarissime suadet ipsa ratio naturalis. Quippe novum prorsus, et erroneum videtur, ut quaevis societas sine ordine, et statutis ritibus suas functiones, quae totius societatis bonum spectant, exerceat. Ergo Christiana religio, quae est societas divinitus instituta, non potest sine ritibus, et caeremoniis Sacra-

menta, quae ad bonum omnium sunt a Deo ordinata, conficere, et ministrare. Sed ad societatis caput spectat omnia ordinare, et praecipere, quae ad utilitatem pertinent ipsius societatis. Ergo ad Ecclesiam, et proprie ad illius caput, sive supremum Pastorem, sive Concilia, spectat ordinare, et praescribere ritus, et caeremonias Sacramentorum. Sed, iterum, graviter peccat, juxta gravitatem materiae, qui legem, et praecepta legitimi Superioris, et maxime si cum spreto id faciat. Ergo graviter peccant quicumque suo libito mutant, aut non servant ritus, et caeremonias ab Ecclesia praescripta in confectione, et ministratione Sacramentorum. Et id eo vel magis, quod non solum jure naturali Divino Ecclesiae Caput verum jus habet ferendi leges; sed etiam jure Divino positivo, quoniam jure hoc, ut suo loco dictum est, Romanus Pontifex, et Concilia Oecumenica potestatem habent super universam Christi Ecclesiam.

Solvuntur nonnullae difficultates.

106. Apostolus ad Thessalon. cap. II. v. 13. dicit: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei.* Sed ritus, et caeremoniae non sunt verbum Dei, sed hominum, quia non ab Auctore Sacramentorum Christo institutae sunt; sed ab hominibus. Ergo rejiciendae sunt. Et quidem II. nonne in sui exordio Ecclesia sine caeremoniarum apparatu sua mysteria celebrabat, et ministrabat Sacramenta? III. Et

merito quidem, quoniam si ritus istos, et caeremonias examinemus, clare videbimus, quod derivant a caeremoniis vel Hebraeorum, vel Gentilium. Et tandem, quia omnes prorsus inutiles sunt sive ad religionis cultum Deo praestandum, sive ad nostram salutem, quoniam Sacramenta, non caeremoniae sunt a Deo instituta, et Sacramenta ipsa, juxta doctrinam Catholicorum, gratiam conferunt *ex opere operato*, non vero *ex opere operantis*.

℟. Vana sunt ista omnia, quae objiciuntur. Et quidem ad primum dicimus, quod utique credentes accipiebant verba Apostolorum ut verba Dei, non vero hominum, alioquin non Divina, sed humana fuisset illorum fides. Sed ad quid ista cum doctrina Catholicorum circa ritus, et caeremonias Sacramentorum? Numquid propugnamus, caeremonias istas constituere partem essentialem divinae revelationis? Quod tuemur hoc unum est, quod scilicet ritus isti, et caeremoniae multum decent sanctitatem Sacramentorum, et promovent nostram devotionem, et venerationem erga tam singularia Christi dona. Quod autem ad revelationem pertinet, utique concedimus nec directe, neque immediate fuisse a Deo revelatas; sed fuisse tamen indirecte, quoniam Ecclesiae a Deo data est potestas determinandi modum, quo decentius, et utilius ministrarentur Sacramenta pro gloria Dei, et utilitate hominum.

Et inde patet quoque responsio ad secundum. Etenim si caeremoniae ad essentiam Sacramentorum non pertinent, sed ad majorem decentiam, et solemnitatem illorum, et utilitatem nostram, ipsae ab Ecclesia ordi-

nantur juxta prudentiae leges, et temporum circumstantias. In prioribus Ecclesiae saeculis seviebant in Christianos persecutiones: Ergo prudenter illi agebant, dum secreto in cryptis, et sine solemnibus caeremoniis sacra faciebant, et ministrabant Sacramenta.

Ad tertium dicimus, quod etsi concedatur, ritus, et caeremonias nonnullas nostrorum Sacramentorum aliquam analogiam habere cum caeremoniis Hebraeorum, et etiam Ethnicorum, non inde sequitur, quod inutiles, aut damnabiles sint. Etenim quaevis res symbolica suam malitiam, aut bonitatem recipit a fine, quem intendit operans. Cum ergo finis Christianorum sit omnino diversus a fine Paganorum, inde fit, quod si damnabiles erant caeremoniae Ethnicorum, utiles dicendae sunt caeremoniae Christianorum. Quod ad Hebraeos spectat, quis damnabiles, et vitiosas dicet illorum caeremonias, et non potius aptas illorum legi, si ab ipso Deo tanta cura, et diligentia praescriptae fuerunt?

Ad ultimum: miramur quomodo ista opponi possunt ab Haereticis Novatoribus. Procul dubio ipsi negant, Sacramenta ex Christi institutione continere, et conferre gratiam, et quidem *ex opere operato*; et nihilominus dicunt, Sacramenta ipsa bona esse, sive quia sunt signa gratiae jam per fidem apprehensae, sive quia inserviunt ad ipsam fidem vel excitandam, vel sustinendam. Eccur ergo nunc reprobant caeremonias Catholicorum, quae pariter, juxta nostram doctrinam, inserviunt vel ad excitandam nostram fidem, quod scilicet Sacramenta vere continent, et conferunt gratiam, quam significant, aut ad nostram devotionem augendam?

Et haec dicta sufficiant de Sacramentis in genere prout ferunt limites brevis institutionis.

PARS II.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

107. Vindicata Catholica doctrina, praesertim contra Lutheranos, et Calvinistas, circa ea, quae Sacramenta generatim spectant, idem nunc praestemus necesse est, et maxime adversus eosdem Novatores, circa dogmata cujusque Sacramenti in particulari. Et quoniam, ut in priore parte demonstratum est (prop. III. §. 19.) Sacramenta novae legis a Christo instituta non sunt plura, nec pauciora, quam septem; idcirco in septem capita haec posterior pars erit distributa. Et quia brevitas nos urget, et propterea non omnia in his nostris institutionibus pertractari possunt, ut nihil tamen, quod ad fidem pertinet, desit, ante brevem cujusque Sacramenti doctrinam exponemus canones Concilii Tridentini, quae unumquodque spectant Sacramentum. Quippe si digna forsan laudibus videtur brevitas, semper tamen damnandus est defectus in necessariis. Sit itaque

CAPUT I.

De Sacramento Baptismatis.

108. Catholicam doctrinam de Sacramento Baptismi declarant et definiunt sequentes canones Concilii Tridentini sess. VII.

Canon I.

Si quis dixerit, Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, aquam veram, et naturalem, non esse de necessitate Baptismi: atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto*, ad metaphoram aliquam deterserit; anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, in Ecclesia Romana, quae omnium Ecclesiarum mater est, et Magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam; anathema sit.

Canon IV.

Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab Haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem; anathema sit.

Canon VI.

Si quis dixerit, Baptizatum non posse, etiam si velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, Baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae; anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit, Baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit.

Canon IX.

Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quae post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factae irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi Baptismo; anathema sit.

Canon X.

Si quis dixerit, peccata omnia, quae post Baptismum

fiunt, sola recordatione, et fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri; anathema sit.

Canon XI.

Si quis dixerit, verum, et rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad poenitentiam convertitur; anathema sit.

Canon XII.

Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo; anathema sit.

Canon XIII.

Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae; anathema sit.

Canon XIV.

Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod Patrini eorum nomine, cum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim poena ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae, alio-

rumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.

109. Hac posita veluti summa Ecclesiae Catholicae doctrinae de Sacramento Baptismi, quinque disputationibus hoc primum caput absolvemus. In prima sermo erit de Baptismi materia, et forma. In secunda illius vindicabimus necessitatem. In tertia loquemur de Baptismi Ministro. In quarta de ejusdem subjecto.

Et tandem videbimus quinam sint Baptismi effectus. Sed prius notandum.

110. Quoniam Novatores praesertim hostes habemus in hoc postremo libro de Sacramentis, et iidem, etsi erronea sentiant contra virtutem, et efficaciam Baptismi in conferendo gratiam, ut in priore parte dictum est, tamen non negant esse Sacramentum; idcirco nullum verbum faciemus de hac veritate. Et id eo libentius, quia vanum, imo imprudens judicamus in memoriam revocare antiquam haeresim prorsus extinctam Archovitorum, Valentinianorum, aliorumque, qui Baptismum dicebant a malo principio derivatum. Libenter etiam omittimus demonstrare veritatem primi canonis Concilii Tridentini, quod scilicet Joannis Baptistae Baptismus non habuit eamdem virtutem regenerandi quam habet Baptismus Christi, quia satis, veluti pro legitimo corollario, haec veritas fluit ex quo in primi parte demonstratum fuit, solum Christum verum Deum, et hominem esse auctorem Sacramentorum, quia solus Deus esse potest auctor gratiae, quam Sacramenta proprie dicta conferunt.

DISPUTATIO I.

De materia, et forma Baptismi.

111. Circa Baptismi materiam primo erraverunt Seleuciani, Herminiani, et Manichaei, qui illam prorsus negabant. Deinde male de ipsa senserunt, et sentiunt Novatores. Etenim Lutherus docuit, non solam aquam naturalem esse Baptismi materiam, sed quidquid balnei loco esse potest. Et Calvinus dicebat, aquam „, qua ex praecepto Christi fieri debet Baptismus, non proprie, sed metaphorice esse accipiendam. Et eumdem errorem secuti sunt Sociniani et Quakeri. Graeci autem male sentiunt de aspersione, aut infusione, qua Ecclesia Romana hoc Sacramentum administrat, quasi nullum sic habeatur Baptisma. Nos itaque adhaerentes secundo, et tertio canoni Conc. Trident: (§. 2) expositis, veluti haereticum insectamur utrumque errorem.

PROPOSITIO I.

Vera, et essentialis materia Baptismi est aqua naturalis.

112. Jam ex can. II. Conc. Trident. sess. VII. (§. 2.) de fide est nostra propositio. Sed tamen sic prob. I. Ex Scripturis. Joan. cap. III. v. 5. Christus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* II. A-

ctorum Cap. VII. v. 26. habemus, quod Philippus, et Eunuchus: *Venerunt ad quamdam aquam: et ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Et v. 38. *Et descenderunt uterque in aquam, Philippus, et Eunuchus, et baptizavit eum.* Et ibidem cap. X. v. 47. Petrus ait: *Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut et nos?* Ecquid Metaphora cum adductis Scripturae testimoniis?

113. *Prob.* II. Et hoc item luculentissime patet ex Apostolica traditione, uti certum faciunt perpetua praxis Ecclesiae, de qua non potest dubitari, et communis doctrina Sanctorum Patrum, ex quibus pro omnibus sit Doctor Augustinus, qui in tract. XV. in Joan. n. 4. scribit: *Quid est Baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam, non est Baptismus: tolle verbum, non est Baptismus.*

Solvuntur nonnullae difficultates.

114. Ob. Matth. cap. III. v. 11. Joannes Baptista ait: *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam: qui autem post me venturus est* (Christus), *fortior me est . . . Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igni.* Ergo Baptismus Christi non est in aqua; sed in vivo amore Dei. II. Et id confirmavit Christus ipse Actorum cap. I. v. 5. dicens: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, non post multos hos dies.* III. Et hoc ipsum confirmavit Apostolus ad Titum cap. III. v. 5.

Salvos nos fecit lavacrum regenerationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum. Ergo lavacrum Baptismi metaphorice, non litteraliter, accipiendum est.

℟: Non aliud Joannes laudatis verbis significare voluit, quam discrimen maximum, quod erat inter Baptismum suum, et Baptismum Christi, quoniam ipse ut Praecursor baptizabat ut homo simplici aqua, ut disponeret ad poenitentiam, ut sic digni fierent recipiendi verum regenerationis Baptismum Jesu Christi; et Christus, etsi pariter in aqua, baptizabat revera conferendo regenerationis gratiam, quam indicant verba, *in Spiritu Sancto*. Idipsum significavit Christus in Actibus Apostolorum, et Apostolus quoque ad Titum, ubi extollens efficaciam Baptismi, dicit, quod per illum vere regeneramur ad novam vitam per virtutem Spiritus Sancti.

PROPOSITIO II.

Vera est doctrina Ecclesiae Romanae de validitate Baptismi sive per immersionem, sive per infusionem, aut etiam per aspersionem ministretur.

115. Haec propositio pariter est de fide, uti habemus ex can. III. supra allato §. 108; sicut etiam a Rituali Romano edito a Pio V. in quo probatur uterque modus baptizandi Ecclesiae Latinae, et Graecae, per infusionem scilicet, et per immersionem.

116. Non immoramur in demonstrando hanc veritatem ex usu antiquissimo in Ecclesia Latina ministrandi

Baptismum per infusionem, et etiam per aspersionem in datis circumstantiis, id quod fieri non potuit sine Apostolica traditione. Sed breviter ita ratiocinamur. Quod essentiale existimatur circa materiam Baptismi, est, ut fiat aqua naturali: et procul dubio accidentalis reputandus est modus, quo aqua ipsa adhibetur. Sed quae accidentalia sunt, et ad disciplinam potius pertinent, sunt in potestate Ecclesiae, ut disponat, et ordinet, prout commodius, aut decentius, fieri judicaverit. Ergo ec. Et quidem hae causae fuerunt Ecclesiae Latinae, ut infusionis modum adoptaverit, ut praesertim saluti consuleret parvulorum, et decentiae puellarum, maxime si in aliqua aetate, ut saepius accidebat in primis Ecclesiae Saeculis, et raro nunc etiam accidit, Baptismum suscipere deberent.

Solvuntur objectiones.

117. Patres communiter ex traditione Apostolorum repetunt ritum baptizandi per immersionem. Ergo traditio non solum non favet, sed contraria quoque est Ecclesiae Romanae quoad ritum hoc Sacramentum ministrandi per infusionem, et multo magis per aspersionem. Sed et idem Scriptura docet. Etenim de Baptismo a Philippo ministrato Eunucho Reginae Candacis habemus Actorum cap. VIII. v. 38. *Descenderunt uterque in aquam Philippus, et Eunuchus, et baptizavit eum.* Et quidem de facto Ecclesia prioribus saeculis ita firmiter adhaerebat ritui baptizandi per trinam immersionem, ut Patres Concilii Constantinopolitani I. irritum decla-

raverint Baptismum Eunomianorum, ex eo quod non triplici, sed unica tantum immersione conferebatur:

℟. Ad allatas, et similes objectiones dissolvendas, notandum est, quod duplicis generis est traditio, et quae pertinet ad essentiam, et fidem, et quae disciplinam potius respicit. Secundo notandum, quod cum verum dicimus doctrinam Ecclesiae de validitate Baptismi per infusionem, et in data necessitate etiam per aspersionem, nullimode reprobamus Baptismum per immersionem; sed hoc solum defendimus, quod validum est quocumque ex tribus modis conferatur. Et inde utique fatemur, ab Apostolis collatum fuisse per immersionem, et ita etiam ab Ecclesia in suis primordiis: sed quoniam hoc solum pertinet ad essentiam, ut fiat aqua naturali in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, non autem modus, quo aqua ista adhibetur, hinc dicimus, quod Ecclesia Latina, cum ritum per infusionem adoptavit, secuta fuit apostolicam traditionem, non quia ita fieri debeat, sed solum quia ita fieri potest. Quod si quaeratur, qua causa Latina Ecclesia abjecit ritum per immersionem, cum tutior forsan iste sit, ut dicit D. Thomas 3. p. q. 66. n. 7.? Dicimus, id fecisse pro majori decentia respectu mulierum, maxime post dimissionem Diaconissarum, et ut consuleret saluti puerorum.

Quod autem pertinet ad Concilium Constantinopolitanum I; dicimus irritum declarasse Baptismum Eunomianorum, quia male illi sensiebant de Divinitate Spiritus Sancti, et propterea unam, et non trinam adhibebant immersionem. Cum itaque ad essentiam perti-

neat, ut fiat in nomine trium Personarum, propterea Concilium irritum declaravit illorum Baptismum.

118. Quoad formam vero Sacramenti Baptismi duplex est quaestio, altera scilicet inter nos, et Haereticos, et altera inter nostros Theologos. Haeretici Lutherani, et Calvinistae, quos sequuntur Sociniani, non diffitentur admittere formam Romanae Ecclesiae, sed non necessariam existimant, quoniam ex ipsorum Systemate non Sacramenta, sed sola fides justificat. Gnostici autem, Valentiniani, Sabelliani, Priscillianistae Evangelicam Baptismi formam vitiarunt.

119. Cotroversia autem inter nostros Theologos est, num ab Apostolis aliquando Baptismus ex Divina dispensatione ministratus fuerit tantum in nomine Jesu Christi, et num postea sic administratus valuerit, ut Bellarminus cap. III. n. 7. dicit, sensisse nonnullos Patres. Hanc criticam quaestionem remittimus ad ea, quae hac super re docet Catechismus Romanus, et nostras vires intendimus contra Haereticos. Sit itaque

PROPOSITIO III.

Vera est doctrina Ecclesiae Romanae de baptizando sub distincta invocatione Patris, Filii, et Spiritus Sancti.

120. Haec item propositio de fide tenenda est, ut definierunt Patres Conc. Trident. sess. VII. can. III. et IV. (§ 108). sed prob. ex Scripturis. Matth. cap. ultimo ỷ. 19. Christus instituens Baptismum, ait: *Euntes docete omnes baptizantes eos in nomine Pa-*

tris, *et Filii*, *et Spiritus Sancti*. Ergo vera est forma Ecclesiae Romanae: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; etsi vera quoque habenda sit illa Graecorum: *Baptizatur servus Dei in nomine Patris* etc., quia in hac quoque habetur distincta invocatio trium Divinarum Personarum.

121. Et id confirmatur ex perpetua, et constanti praxi Ecclesiae tam orientalis, quam occidentalis, et communi doctrina Sanctorum Patrum; ex quibus S. Ambrosius lib. *de Mysteriis* cap. IV. ait: *Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum*. Et S. Basilius in lib. *de Spiritu Sancto*, rationem adducens, inquit: *Sicut enim credimus in Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris etc.*

Solvuntur nonnullae difficultates.

122. *Ob*. Ecclesia Catholica credit, et profitetur unitatem Naturae et Substantiae Divinae in tribus Personis, quapropter docet quoque *circuminsessionem*, scilicet unam Personam esse in alia. Ergo validum est Baptisma, si unius tantum Personae invocatione conferatur. II. Et requidem vera: Nonne Apostoli baptizarunt in solo nomine Christi, quoniam erat secunda Persona in Divinis?

℟. Sacramenta ut suam producant effectum, conficienda sunt juxta voluntatem, et praeceptum Auctoris et institutoris. Sed Auctor Christus praecisis verbis jus-

sit, ut Baptismus ministretur sub expressa invocatione trium Personarum: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ergo nulla ratio contra adduci potest.

Ad II. Licet dici possit, Apostolos ita fecisse ex dispensatione Divina, ut glorificaretur Christi nomen, id quod sufficit, quia nullus certe negabit Auctori legis facultatem in illa dispensandi, quod placuit Divo Thomae, Alberto Magno, S. Bonaventurae, et Scoto; attamen dicimus, quod nobis probabilius videtur, quod per verba *in nominè Christi*, intelligi debet *Baptismus Christi*, prout Christus tum quoad formam, tum quoad materiam instituerat, qui prorsus diversus erat a Baptismo Joannis (Cath. Rom. p. II. cap. II. n. 16.)

DISPUTATIO II.

De Baptismi necessitate.

123. Baptismi necessitatem, contra luculentissima Scripturarum testimonia, praesertim Joan. cap. III. v. 5., *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, post Manichaeos, Pelagianos, Waldenses, inficiati sunt Novatores suo inhaerentes systemati, quod scilicet per fidem, *fiduciam*, non vero per Sacramenta, justificamur, et etiam Sociniani, saltem quoad filios infidelium. Contra ipsos sit

PROPOSITIO IV.

Baptismus, saltem in voto, omnibus necessarius est necessitate medii.

124. Haec pariter propositio de fide tenenda est ex can. V. sess. VII. Conc. Trident.: *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem; anathema sit.*

125. *Prob.* Ex Scripturis. Matth. cap. XXVIII. ✝. 19. Christus redivivus praecepit Apostolis: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et clarius Marci cap. XVI. v. 15.: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Sed clarissime Joann. cap. III. v. 5. Christus ait Nicodemo: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo in negotio aeternae salutis non est in nostra libertate suscipere Baptismum, sed sucipere debemus necessitate medii.

126. Et haec est communis doctrina Sanctorum Patrum tam ex Graecis, quam ex Latinis, ut videre est apud Vossium disput. VIII. de Bapt. thesi XXI. Quinimo Angelicus Doctor etiam Theologica ratione demonstrat in III. p. q. 68. a. I., dicens, quod si nullus salvari possit, nisi incorporetur Christo, nullus etiam sine Baptismo poterit salvari, quia per Bapti-

smum tantum Christum induimus, juxta illud Apostoli ad Galatas cap. III. v. 27.: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Solventur Objectiones.

127. Multa objiciuntur: sed pauca seligimus. Et quidem I. Praeceptum Baptismi est positivum. Ergo non potest esse necessarium necessitate medii. II. Nullibi legimus in Scripturis, Apostolos, et Beatissimam Virginem recepisse Baptismum. Ergone dubitabimus de illorum salute? Baptismus ergo non est absolute necessarius. III. Si Baptismus absolute necessitate medii esset necessarius, necessitate quoque absoluta excluderentur a Christi redemptione infantes, qui in utero matris moriuntur, et alii multi, qui nati, sine sui culpa, moriuntur ante susceptionem Baptismi. Ergo nullimode participare possent Christi redemptionem. Sed hoc pugnat cum dogmate Catholico, quod pro omnibus Christus mortuus est. Igitur dicendum etc.

℟. Et quidem ad primum dicimus, quod susceptio Baptismi est praeceptum simul, et medium absolute necessarium pro aeterna salute. Ut patet ex testimoniis in probatione allatis, sic placuit Deo ex sua infinita misericordia ineffabilem redemptionis gratiam nobis impertiri, et non aliter: Et nobis non licet investigare imperscrutabilia sua judicia. Quod si pura gratia fuit, ut in creatione addiderit originalem justitiam ad naturalem statum generis humani, et pura etiam gratia restituere hunc ipsum statum per Adae peccatum ab omni-

bus amissum, quis Deum arguet, quod Baptismum pro necessario medio posuerit, sine quo, saltem in voto, nullus participare possit Christi redemptionem? Caeterum, ut suo loco diximus, infantes, qui sine Baptismo moriuntur, non positive, sed negative, idest non poena sensus, sed damniantum puniuntur: quapropter semper sunt debitores Deo de accepta existentia.

Ad secundum respondemus, quod non omnia, quae facta fuerunt ab Apostolis, ab eisdem litteris data fuerunt. Quo circa si nullibi legimus, illos suscepisse Baptismum, non inde fas est concludere, quod revera non fuerint Baptizati, nisi suspicari velimus, quod ab universali lege fuerint exclusi ab ipso Legislatore Christo. Sed fuisse baptizatos non obscure indicant verba Petri Actor. cap. X. v. 47. cum admiratione dicta: *Nunquid aquam quis prohibere potest his, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut et nos?* Quippe verba ista sic prolata indicant, Apostolos prius fuisse baptizatos, et postea accepisse Spiritum Sanctum. Quod vero ad Beatissimam Virginem pertinet, praeter haec, quae diximus, addendum, quod ipsa a nobis praeservata defenditur ab omni macula peccati originalis, ut fusius in lib. VI. par. II. disputavimus; quapropter (in hac hypothesi) susceptio Baptismi non erat illi necessaria necessitate medii.

Tandem circa parvulos satis dictum est de illorum sorte in lib. V. par. II. cap. IV. Nec inde sequitur, quod non pro omnibus Christus mortuus esset. Etenim sicut non derogat huic dogmati libera hominis voluntas, ex qua fit, ut multi vera aeterna morte damnentur,

sic non derogat quoque, si necessitate physica pueri nonnulli redemptionem non participant. Quippe Christus ex parte sui pro omnibus mortuus est, non vero ex parte hominum, qui redemptionem assequi debent sua cooperatione. Et quoniam de pura gratia agitur, nulla injuria fit parvulis istis, etsi sine propria culpa illam non assequantur, et semper Deo debitores sunt de gratis accepta existentia. Nunquid qui minus; sed gratis, accipit, conquerendi jus habet contra donatorem, ex quo plus alios donavit? Ergo ne reprobanda Evangelica parabola de quinque talentis, aut de mercede data operariis? Miseretur Deus, cujus vult misereri: et nullus dixerit injustum Principem, qui sua dona impertitur omnibus, et solis, qui ad sui praesentiam E. G. accedunt, praeterea nulli eorum, qui aut nolunt, aut accedere non possunt.

DISPUTATIO III.

De Baptismi Ministro.

128. De Baptismi Ministro hoc tantum habemus ex Conc. Trident., scilicet quod valet, etsi conferatur ab Haereticis, dummodo fiat in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ita definitum fuit sess. VII. can. IV. ut dictum est §. 108. Ex quo utique infertur contra Calvinum, validum esse Baptismum a quovis laico collatum, quem ipse reprobat, etsi, ut dicit Bellarminus, non vere constat, qua mente rejecerit, ut ne invalidum, an vero ut illicitum. Duo itaque in hac disputatione no-

bis examinanda sunt, num scilicet in casu necessitatis quivis homo possit valide baptizare, dummodo utatur forma: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, et intendat facere, quod facit Ecclesia. Secundo, quinam praeter necessitatem sint hujus Sacramenti Ministri, ut licite conferatur. Quod ad primum attinet, sit.

PROPOSITIO V.

In casu necessitatis quivis, non exceptis feminis, neque haereticis, dummodo veram formam adhibeat, et intentio sit faciendi, quod facit Ecclesia, valide ministrat Baptismum.

129. Haec propositio pariter ad fidem pertinet. Et id non solum quia clare continetur in dicto can. III. sess. VII. conc. Trident., sed quia sic decretum fuit ab Eugenio VI. R. P. in decreto pro Armenis, in quo dicit: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui competit ex officio baptizare. In casu autem necessitatis, non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam Paganus, et haereticus baptizare potest; dummodo formam servet, et facere intendat, quod facit Ecclesia.* Et sic etiam sancivit Concil. Lateranense IV. cap. *Firmiter*, dicens: *Sacramentum Baptismi, quod ad invocationem individuae Trinitatis . . . consecratur in aqua, tam parvulis, quam adultis, in forma Ecclesiae a quocumque rite collatum, proficit ad salutem.*

130. Sed et sic breviter demonstratur. Quod semper a sui usque exordio servatum est ab Ecclesia, veluti certissimum certitudine fidei tenendum est, sive quia certitudine fidei tenendum est, quod Ecclesia errare non potest in iis, quae ad fidem pertinent, ut suo loco demonstratum est; sive quia non aliunde id derivare potest, quam a divina Apostolica Traditione, quae aeque ac Scriptura, est fidei regula. Sed nullus, nec ipse Calvinus, dubitat, quin semper a sui exordio ita Ecclesia semper senserit, et fecerit: Etenim Calvinus in lib. IV. Inst. cap. XV. §. 20. ait: *Quod autem multis abhinc saeculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiae exordio usu receptus fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video qua firma ratione defendi queat.*

131. Quod si ita semper in usu fuit in Ecclesia, nullus certe esse potest ex Ss. Patribus, qui contra senserit. Sed quoniam Novatores saepe abutuntur doctrina Magni Augustini, hunc solum afferimus. Itaque S. Doctor lib. II. contra epistolam Parmeniani cap. LIII. n. 102. dicit; se certum esse, *habere eos Baptismum, qui ubicumque, et a quibuscumque illud verbis evangelicis consecratum sine sua simulatione, et cum aliqua voluntate accepissent.*

Solvuntur praecipuae difficultates.

132. *Ob.* Nullibi ex Scripturis, et perperam ex traditione deduci potest validitas Baptismi a quibuscumque, in casu necessitatis, collati, praesertim a femi-

nis, et Haereticis: quinimo et oppositum a traditione habemus. Ergo falsa prorsus est exposita thesis. Et quidem I. Constitutiones Apostolicae interdicunt laicis ministrare Baptismum. II. Quapropter S. Gregorius Nazianzenus in periculo naufragii renuit baptizari a laicis. III. Concilium Carthaginense IV. can. C. decrevit: *Mulier baptizare non praesumat.* Tandem Sanctus Hieronymus in dial. adversus Luciferianos n. 12 ait: *Novam rem asseris, ut Christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit Christianus.* Ergo etc.

℟. Et quod ad Scripturas pertinet, dicimus, quod, Novatoribus ipsis non dissidentibus, novum non est, ut aliquas veritates veluti dogmata retineamus ex sola traditione, etsi nullimode ex Scripturis constent. Ad primum autem respondemus, quod laudatae constitutiones loquuntur de Baptismo solemni, et publico, non vero privato, et in causa necessitatis. Et id patet ex quo agunt de officiis Sacerdotum. Ad II. Gregorius Nazianzenus quia non putabat, se esse in periculo, idcirco Baptismum noluit recipere a laicis. Ad III. Canon Conc. Carthaginensis IV. intelligendus est de Baptismo publico, aut privato, praesente viro. Et id patet ex can. XCIX praecedenti: *Mulier quamvis docta, et Sancta, viros in conventu docere non praesumat.* Ad ultimum dicimus, quod Hieronymus, ut constat ex tota serie suae orationis, non miratur quomodo quis ab Haeretico factus sit simplex Christianus, sed Christianus verus, scilicet Catholicus.

PROPOSITIO VI.

Ministri ordinarii Sacramenti Baptismi sunt Episcopus, et Presbyteri, Diaconi vero extraordinarii, et delegati.

133. Episcopos ministros esse hujus Sacramenti, nullus quidem in dubium revocat. Quod tales etiam sint Sacerdotes, constat primo ex decreto Eugenii IV. de Instruct. Armenorum: *Minister hujus Sacramenti Baptismi est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* II. Et id clare satis constat ex Scripturis. Etenim Apostolus in I. ad Corinth. cap. I. v. 15, et seq. dicit, nonnisi paucos a se fuisse baptizatos, propterea quod Christus non illum miserat baptizare, sed evangelizare. Sed numquid non baptizabantur multi, qui ex Pauli praedicatione Christi fidem amplectabantur? Ergo baptizabantur a Presbyteris. Et hoc ipsum legimus Actor. cap. XIX. v. 5. Apostolum fecisse cum aliorum ministerio baptizavit fere duodecim discipulos Joannis Baptistae. Quod autem ex delegatione haec eadem potestas competat Diaconis, constat ex ipsis Actibus Apost. cap. VIII. v. 38. ubi legimus, Eunuchum fuisse baptizatum a Philippo, qui, ut habemus ex cap. VI. v. 5., erat Diaconus electus cum septem aliis. Et sic semper in Ecclesia fieri consuevit.

DISPUTATIO IV.

De Baptismi subjecto.

134. Nusquam dubitatum est, quin solus homo sit Baptismi subjectum. Sed in qua aetate homines Baptismum suscipere debeant, de hoc magna agitatur controversia inter Catholicos, et Anabaptistas, qui anno 1527 prodierunt ex secta Lutheri, Socinianos, Petrobrussianos ex auctore Petro de Bruis, et etiam Erasmum, et Protestantes. Ex Lutheri systemate, quod sola fides, (fiducia) nos justificat, et Baptismus est simplex signum apprehensae justificationis, vel ad summum excitat, et sustinet fidem, qua justificamur, Storchius intulit, invalidum esse Baptismum puerorum, ex eo quod non sunt fidei capaces. Hunc errorem secuti sunt Sociniani, quod sectati sunt Arminiani. Inde Erasmus, Lutherus, et Protestantes omnes docuerunt, et adoptarunt systema interrogandi pueros, cum ad aetatem perveniunt, num ratum habeant, quod alii suo nomine polliciti sunt, cum adhuc infantes baptizati fuerunt, aut non. Qui si affirmanter responderint, publice esse rebaptizandos; si secus, cogendos non esse, nec alia poena afficiendos, quam privatione Eucharistiae, et aliorum Sacramentorum. Hunc duplicem errorem solemniter damnavit Concil. Trident. sess. VII. can. XII. XIII. et XIV. ut dictum est §. 108. Et utrumque nos insectamur.

PROPOSITIO VII.

Etsi parvulis actum credendi non habeant, expedit tamen, ut in sola Ecclesiae fide baptizentur.

135. De fide haec propositio tenenda est. Etenim opposita expresse damnata fuit in duobus praedictis can. XII., et XIII. Trid. Conc. Et sic prob. Joan. cap. III. v. 15 Christus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo ex voluntate Christi omnes, etiam parvulis, qui actum fidei non habent, sunt baptizandi. *Prob.* Impium, et in fide absurdum est cogitare, Christum non omnes voluisse redimere, et ex parte sua non omnes velle salvare. Sed multa pars parvulorum moriuntur, antequam perveniant ad aetatem discretionis. Ergo Christus, qui ex allatis verbis posuit Baptismum pro absolute necessario medio salutis, vult infantes baptizari in sola fide Ecclesiae. Sed quis ignorat, quod ubi lex expresse non apponit exceptionem, non licet illam apponi, maxime cum inde favores restringentur? Ergo si hujusmodi conditionem non apposuit Christus, ut scilicet omnes habeant proprium actum fidei, non licet nobis apponere in damnum parvulorum.

136. Sed si non omnino clare nostrum dogma constat ex Scripturis, constat tamen clarissime ex Apostolica traditione, quae est altera fidei regula. Et quidem haec fuit semper Ecclesiae praxis, ut infantes baptizarentur in fide Ecclesiae, id quod nonnisi ab Apostolorum

doctrina voce tradita potuit derivari. Et haec quoque est communis doctrina Sanctorum Patrum, unde habemus divinam traditionem. Et quidem Antiquissimus Irenaeus lib. II. contra haeres. cap. XXII. n. 4. dicit, quod Christus *omnes venit per Baptismum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et parvulos, et pueros, et juvenes, et seniores.* Origenes in lib. V. ad caput VI. Epist. ad Rom. ait: *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis Baptismum dare.* Et ut caeteri mittantur, Sanctus Augustinus serm. CLXXVI. de verb. Apost. n. 2. loquens de Baptismate puerorum, ait: *Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit: hoc a Majorum fide percepit: hoc usque in finem perseveranter custodit.*

Solvuntur objectiones.

137. *Ob.* Matth. cap. XVIII. v. 19. Christus praecepit discipulis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* Ergo instructio debet praecedere Baptismum. Sed infantes non sunt instructionis capaces. Ergo baptizandi non sunt. II. Marci cap. ultimo v. 16. idem Christus ait: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Sed infantes non sunt fidei capaces. Ergo nihil ipsis valet Baptismus. III. Et eo vel magis, quod Apostolus ad Hebraeos cap. XI. v. 6 aperte dicit: *Sine fide impossibile est placere Deo.*

℟. Haec, et similia potius urgent Lutheranos, et Calvinistas, qui praeter Dei verbum scriptum, nullum a-

liud voce traditum admittunt. Sed nos, qui utrumque et scriptum, et traditum aeque fatemur, facillime ex antiquissima, et constanti Ecclesiae praxi, et doctrina Sanctorum Patrum dissolvimus.

Posita igitur, ut demonstratum est, nobis favente Divina et Apostolica traditione, ex qua opus est Scripturae sensum interpretari, dicimus, quod objecta testimonia accipienda sunt de solis adultis, ad quos ad veram fidem vocandos Matth. cap. XVIII; et Marci cap. ultimo Christus Apostolos misit, et de quibus etiam loquitur Paulus ad Hebraeos. Utique et nos propugnamus, eos, qui adulti Baptismum petunt, diligenter prius instruendos esse saltem de primis Christianae fidei veritatibus, et Mysteriis, et postea esse tingendos. Et id semper maxima cura servatum est in Catholica Ecclesia, ut constat ex institutione Catechumenorum. Sed respectu parvulorum, de fide divina tenemus ex Apostolica traditione, quod etsi actum credendi non habeant, expedit tamen illos in sola fide Ecclesiae baptizare. Quod si ratio quaeratur, dicimus, quia sic decet infinitam Dei bonitatem, ne multi propter frequentia mortis pericula sine Baptismo pereant.

138. Ex hac Catholica veritate aliae pariter de fide, veluti pro corollario, sequuntur, quae ab eodem Conc. Trident. sess. VII. decretae fuerunt can. XII. et XIV., scilicet, quod non eadem aetas expectanda est pro Baptismo, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo. Et item, parvulos baptizatos, cum ad aetatem perveniunt, non esse interrogandos, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine polliciti

fuerunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim poena ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscunt.

DISPUTATIO V.

De Baptismi effectibus.

139. S. Chrysostomus in homil. ad Neophitos, duodecim numerat Baptismi effectus, dicens: *Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paullo ante captivi; et cives Ecclesiae fiunt, qui fuerunt in peregrinationis errore: et justitiae in sorte vocantur, qui fuerant in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed sancti: non tantum sancti, sed et justi: non solum justi, sed et filii: non solum filii, sed et haeredes: non solum haeredes, sed et fratres Christi: nec tantum fratres Christi, sed et cohaeredes: non solum cohaeredes, sed et membra: non tantum membra, sed et templum: non tantum templum, sed et organa Spiritus. Vides quot sunt baptizatis largitates: nonnulli deputant caelestem gratiam in peccatorum remissione consistere: nos autem honore computavimus duodecim.*

140. Sed nos alio modo rem inspicientes, quatuor dicimus esse Baptismi effectus. I. Baptismus prorsus destruit omnem maculam sive culpae originalis, sive culpae actualis, et nos gratia sanctificante ornat. II. Tota

remittitur aeterna poena sive negativa pro peccato originali, sive positiva pro peccatis actualis. III. Per Baptismum, veluti januam ingredimur in Christi Ecclesiam, et jus acquirimus ad caetera Sacramenta. Tandem imprimit spiritualem Characterem in animis nostris, unde fit, ut Sacramentum istud non possit iterari.

141. De primo satis dictum fuit in superiori libro de Gratia Redemptoris. De ultimo disputatum est in priori parte de Sacramentis in genere. De tertio nulla est controversia. Ergo de secundo tantum nostra procedit disputatio. Sit itaque

PROPOSITIO VIII.

Baptismi Sacramentum mundat ab omni macula, et delet reatum poenae tam peccati originalis, quam actualium.

142. De fide pariter est haec nostra propositio. Et quidem prima pars expresse definita fuit a Concilio Trident. Sess. V. in decreto de peccato originali can. V. In quo definitum est: *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, et propriam peccati rationem habet .... anathema sit.* Et id quoad reatum peccati originalis, ut ferebat scopus: Sed ex iis, quae sequuntur, clare apparet idipsum dici debere de reatu omnium actualium, et etiam de poena. Etenim rationem adducens, dicit. *In renatis enim*

nihil odit Deus; quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem; qui . . . innocentes, immaculati, puri, innoxii, a Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi; ita ut nihil prorsus eos ab ingressu Coeli remoretur. Si de omnibus renatis sive pueris, sive adultis loquitur concilium, procul dubio suum decretum respicit tam peccatum originale, quam actualia. Et dicens, quod nihil baptizatos remoratur ab ingressu Coeli; certo loquitur de culpa simul, et poena. Et hoc ipsum habemus ex decreto Eugenii IV. pro Armenis: *Baptizati nulla pro peccatis praeteritis injungenda est satisfactio: sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regna Coelorum, et Dei visionem perveniunt.*

143. *Prob.* Ex Scripturis. In Actibus Apost. cap. II. v. 38. Petrus inquit: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum.* Si per Baptismum remittuntur peccata: ergo abluitur omnis macula, et reatus poenae deletur. Deinde: Apostolus ad Rom. cap. VIII. v. 1. ait. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Sed quomodo sumus in Christo Jesu, nisi quia baptizati in ipso, in illius morte baptizati sumus, et cum illo consepulti, ut dicit ibidem cap. II. v. 4., *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in morte?* Sed v. 7. qui mortuus est in Christo, justificatus est a peccato: *Qui enim mortuus est justificatus est a peccato.* Ergo etc. Tandem idem Apostolus ad Ephesios cap. V. v. 25 et seq. dicit: *Christus di-*

lexit Ecclesiam , et seipsum tradidit pro ea , ut illam sanctificaret , mundans lavacro aquae in verbo vitae , ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam , aut rugam , aut aliquid hujusmodi , et ut sit sancta , et immaculata. Sed respectu Baptismi , quo Christus mundat Ecclesiam , quod de Ecclesia dicitur , verum quoque est de quovis, qui per Baptismum fit membrum Ecclesiae. Ergo etc.

144. Et hoc ipsum confirmatur ex Apostolica traditione , quam habemus ex communi doctrina Ss. Patrum, et ex perpetuo , et constanti usu Ecclesiae , quae nullam unquam poenam imposuit adultis baptizatis pro peccatis actualibus ante commissis , sicut fit in Sacramento Poenitentiae ; id quod clare indicat, Ecclesiae doctrinam semper fuisse , ut per Baptismum tota culpa simul , et poena deleatur , et remittatur.

145. At notandum , quod id verum est de poena post susceptum Baptismum , non vero pro adultis antequam baptizentur. Etenim de his habemus Actor. cap. II. v. 38. : *Poenitentiam agite* (inquit Petrus), *et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Ergo in adultis poenitentia debet praecedere Baptismum. Immo , ut Cathecumeni tutius dirigi , et convenientius praeparari possent , utilissimum esset plenam peccatorum suorum confessionem facere. Unde Tertullianus in lib. de *Bapt.* cap. XX. dicit: *Ingressuros Baptismum orationibus crebris , jejuniis , et geniculationibus , et pervigiliis orare oportet , et cum confessione omnium retro delictorum etc.* Et S. Basilius ad deterrendos Catechu-

menos a dilatione Baptismi usque ad mortem, in Homil. IV. in S. Baptisma dicit: *Quid expectas, ut beneficio febris Baptisma accipias? Quando neque salutaria verba proferre poteris . . . non diligenter confiteri?* Et ratio procul dubio videtur illa, quam non semel diximus, quod in oeconomia nostrae salutis Deus sua peculiari bonitate voluit, ut ipsa penderet quoque a nostra libera cooperatione, ut scilicet cooperando nos suae gratiae, et ponendo quantum ex nobis est, caelestis gloria daretur quasi merces, et corona. Ergo in adultis necesse est, ut se poeniteat suorum peccatorum, ut detestentur, ut omnia faciant, quae in ipsis est.

146. Sed cave tamen, ne confessionem istam accipias pro Sacramento poenitentiae, qua confitendo nostra peccata, illorum veniam accipimus. Quippe Baptismus est janua, per quam solam licet ingredi in Ecclesiam Christi, et capaces efficimur caeterorum Sacramentorum. Igitur confessio peccatorum ante Baptismum, erat tantum dispositio, et conditio, imo signum verae poenitentiae, quae in adultis requiritur ad rite suscipiendum hoc Sacramentum, quod poenitentiae dicitur.

CAPUT II.

De Sacramento Confirmationis.

147. Sacramentum Confirmationis ab antiquis Haereticis neglectum, aut vitiatum, tandem Protestantes, juxta suum systema de justificatione, e Sacramentorum numero prorsus abstulerunt, et prae omnibus Joannes

Dallaeus. Nos brevitatem sectantes quatuor disputationibus totam rem absolvemus. In prima adversus Protestantes vindicabimus dogma de veritate hujus Sacramenti. In secunda de fide pariter propugnabimus adversus Photium, Waldenses, Hussitas, et Wicleffum, solos Episcopos esse ministros ordinarios Sacramenti Confirmationis. In tertia examinabimus scholasticam controversiam circa materiam et formam ejusdem. Tandem de Confirmationis effectibus disputantes vindicabimus dogma, quod scilicet injuriam non faciunt Spiritui Sancto, qui aliquam virtutem tribuunt sacro Confirmationis Chrismati. Sed ante omnia, ut de quovis Sacramento facere statuimus, tres canones exponimus, quos de hoc Sacramento edidit Concilium Tridentinum sess. VII.

Canon I.

148. Si quis dixerit, Confirmationem Baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum, et proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse; quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, injuriosos esse Spiritui Sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt; anathema sit.

Canon III.

Si quis dexerit, sanctae Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.

DISPUTATIO I.

De confirmatione, quatenus est novae legis Sacramentum vere dictum.

149. Confirmationem Baptizatorum esse novae legis Sacramentum vere dictum, jam breviter demonstratum est in priori parte prop. III. §. 19. Quinimo prop. XVI. §. 98. dictum est, quod in Confirmatione spiritualis character imprimitur in animis nostris. Et inde fit, ut commode a nostris Theologis communiter definiatur per *Sacramentum novae legis, quo baptizatis gratia augetur, et robur additur Sancti Spiritus, tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam intrepide confitendum juxta impressum veluti strenui Christi militis characterem.* Nihilominus aliquid aliud hic visum est addere. Sit ergo

PROPOSITIO IX.

Confirmatio non est otiosa caeremonia, sed est verum Sacramentum novae legis.

150. De fide haec propositio tenenda est, ut habemus ex exposito can. I. sess. VII. Concilii Tridentini. Ipsa autem sic ex Scripturis demonstratur. Tria ad veri Sacramenti rationem requiruntur; scilicet Divina institutio, signum sensibile, et collatio gratiae. Sed in Confirmatione adsunt haec omnia. Ergo etc. *Prob. min.* In Actib. Apost. cap. VIII. v. 14. et seq. scriptum est: *Cum audissent Apostoli, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, et Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, et acceperunt Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Et ibidem cap. XIX. v. 5. habemus de Ephesiis: *His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu, et cum imposuisset illi manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* Ex quibus sic. Si ab Apostolis haec fiebat manuum impositio: ergo ex praecepto Christi faciebant. Et en propterea Divina institutio. Sed accipiebant Spiritum Sanctum: ergo habemus quoque collationem Divinae gratiae. Sed impositio manuum, et oratio sunt res sensibiles. Ergo in Confirmatione omnia habentur necessaria pro veri Sacramenti ratione.

151. Et haec veritas mirifice confirmatur ex antiqua, et constanti praxi Ecclesiae tam latinae, quam orientalis, id quod manifeste indicat derivasse ab Apostolica Divina traditione; et item ex communi doctrina Sanctorum Patrum, ex quibus antiquiores afferimus. Itaque S. Irenaeus lib. IV. *contra haeres.* ait: *Quibuscumque enim imponebant Apostoli manus, accipiebant Spiritum Sanctum.* Tertullianus in lib. *de Baptismo* cap. VIII. scribit: *Dehinc* (post Baptismum) *manus imponitur, per benedictionem advocans, et invitans Spiritum Sanctum.* Et praetermissis caeteris, sic loquitur Cyprianus in Epist. LXXIII. de baptizatis a Philippo Diacono in civitate Samaria: *Quod deerat, id a Petro, et Joanne factum est, et oratione pro eis habita, et manu imposita, invocaretur, et infunderetur super eos Spiritus Sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Propositis Ecclesiae offerantur, ut per nostram orationem, et manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, et signaculo dominico consummentur.*

Solvuntur objectiones.

152. Quae multa contra nostram Catholicam thesim objici solent, ad haec reducuntur. I. infirmare conantur Haeretici testimonia Scripturarum, quae nos attulimus, detorquendo illorum sensum, quasi per Spiritum Sanctum, qui in Actib. Apost. cap. VIII. dicitur collatus a Petro, et Joanne per impositionem manuum,

et item ille, quem contulit Paulus, ibidem cap. XIX., non designata sit gratia gratum faciens, quae est propria Sacramentorum; sed sola gratia gratis data, scilicet gratia miraculorum, linguarum, etc.

II. Quod perperam ex traditione deducimus, Confirmationem esse Sacramentum, cum potius constet, illam esse nudam Sacramenti Baptismi caeremoniam. Et III. tandem abutuntur doctrina Ss. Patrum, et Theologorum.

Ad primum autem astruendum, dicunt, quod in allatis testimoniis ille Spiritus intelligendus est, quem Simon pecunia emere volebat ab Apostolis, scilicet virtutem prodigia, et miracula operandi. Etenim sic habemus in citato cap. VIII. v. 18 et seq.: *Cum vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: date et mihi hanc potestatem* etc. Et post verba alterius testimonii cap. XIX. v. 6: *His auditis* etc. immediate sequitur, *Et loquebantur linguis, et prophetabant* etc. Sed adde, quod idem Princeps Apostolorum eodem sensu, scilicet pro virtute operandi prodigia, interpretatur donum Spiritus Sancti, ib. cap. II. v. 15. Etenim cum omnes admirarent prodigia, quae fiebant post dilapsum de Coelo Spiritum Sanctum, dixit: *Non enim, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt . . . Sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Joel: Et erit in novissimis diebus (Dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri* etc. Ergo etc.

Ad alterum confirmandum dicunt. Ut cuique notum est, in Ecclesiae primordiis Catechumeni per Episcopum disponebantur ad Baptismum manuum impositione, et Sacris unctionibus. Sed crescente numero baptizandorum, Episcopi baptizandi munus commiserunt Presbyteris, et etiam Diaconis, et sibi reservarunt ungere parvulos in fronte. Ergo ex traditione habemus, quod unctio isthaec, cum manuum impositione, est potius caeremonia Sacramenti Baptismatis, quam proprium Sacramentum. Et id confirmatur ex quo in vetustis temporibus ignota prorsus fuit unctio Chrismatis, et simul cum Baptismo fiebat sola impositio manuum.

Pro ultimo adducunt silentium antiquissimorum Patrum, uti Clementis Romani, Ignatii, Justini etc. et maxime Tertulliani, qui in libro de Bapt. cap. VII. si unctionis facit mentionem, illam tamen repetit a pristina disciplina veteris Testamenti, cum Sacerdotes oleo ungi solebant.

℟. Et quidem ad primum dicimus, quod satis clare constat ex illis, quae in probatione diximus, Confirmationem esse novae legis Sacramentum vere dictum, quo gratia gratum faciens, per Spiritum Sanctum designata, confertur. Non negamus, quod prioribus saeculis, sic postulantibus nascentis Ecclesiae circumstantiis, simul cum augmento gratiae sanctificantis, conferebatur quoque gratia miraculorum, donum linguarum etc. ex quo factum fuit, ut Simon postulaverit pecunia emere donum Spiritus Sancti; sed id confirmat potius gratiam sanctificantem, quae per Sacramenta veri nominis confertur; quoniam, ut quasi semper accidit, gratia gratis data,

sive miraculorum, sequitur gratiam gratum facientem, sive sanctificantem, id quod fuit maxime conveniens in Ecclesiae exordio, ut sic homines ad Christi Religionem excitarentur. Et quoniam confirmata nunc est Sanctissima nostra Religio, et propterea non amplius frequentibus, et stupendis indiget miraculis, idcirco factum esse dicimus, ut tam mira signa cessaverint.

Ad alterum respondemus, quod in primis temporibus, quia adulti erant, qui ad Christi fidem convertebantur, ita ut ante Baptismum catechumini instituerentur, idcirco simul ab Episcopo baptizabantur, confirmabantur, et etiam Eucharistiam recipiebant. Sed cum mire cresceret multitudo credentium, et non solum adulti, sed infantes quoque baptizarentur, inde usus habuit, ut separatim haec tria Sacramenta ministrarentur. Ergo sicut ex simultanea administratione non dicimus, Eucharistiam unum esse, et idem Sacramentum cum Baptismate, ita nec cum Baptismate confundi debet Confirmatio: et ea vel maxime ratione, quae contra adducitur ab adversariis, quod scilicet Episcopi, de mandata Presbyteris, et Diaconis cura baptizandi, reservaverint sibi illam sacram unctionem. Quaero enim: erat ne unctio isthaec pars unius Sacramenti Baptismi, an vero simplex caeremonia? Non illud, quia nullus certe dixerit, Sacramentum dividi posse, ita ut diversis temporibus, et a diversis Ministris conficiatur. Non alterum, quia risum movet dicere, ut Episcopi, certe in honorem, sibi reservaverint partem inferiorem, imo accidentalem, uti sunt caeremoniae; et item ut ministretur Sacramentum, et post tempus, et non semper, ut saepe accidit, ab

aliis adhibeantur caeremoniae. Videant ergo Heterodoxi quantus sit sui spiritus contradicendi, et altercandi!

Ad ultimum dicimus, quod argumentum negativum, silentium scilicet nonnullorum, nihil concludere potes contra veritatem nostrae thesis, quae confirmatur argumento positivo aliorum Patrum, quos in probatione attulimus, maxime antiquissimi Irenaei, Cypriani etc. Quod ad Tertullianum pertinet, sufficit ut pro vero Sacramento agnoverit confirmationem in lib. de Bapt., cap. VIII., ut diximus (§. 151.): nec minimum interest, unde desumenda sit origo Sacrae unctionis. Quod solum necessarium esse dicimus, est, ut sive immediate, sive mediate, divinam habeat originem, scilicet aut ab Apostolis ex Christi ordinatione, aut ab Ecclesia ex auctoritate sibi divinitus concessa.

DISPUTATIO II.

De Confirmationis ministris.

153. Circa ministrum Confirmationis duplex occurrit controversia. Altera adversus Haereticos, praesertim Photium, Waldenses, et Hussitas, num scilicet solus Episcopus sit ordinarius minister hujus Sacramenti: et altera agitatur inter Theologos Catholicos, utrum Presbyteri sint ministri Extraordinarii, sive delegati, ejusdem. Quod ad primam attinet, sit

PROPOSITIO X.

Solus Episcopus, non vero quivis simplex Sacerdos, est Minister Ordinarius Sacramenti Confirmationis.

154. Haec propositio, quae est de fide ex supra (§. 148). exposito can. III. sess. VII. Concilii Tridentini, sic demonstratur. In Actib. Apost. cap. VIII. v. 14. Scriptum est. *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, et Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemdam illorum venerat. Sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spriritum Sanctum.* Si Apostoli Petrus, et Joannes missi fuerunt Samariam ad conferendum Spiritum Sanctum, scilicet ad confirmandos eos, qui receperant fidem, et procul dubio erant baptizati, quis non videt, solos Apostolos fuisse ordinarios Ministros hujus Sacramenti? Sed soli Episcopi, non vero simplices Sacerdotes, sunt Apostolorum successores. Ergo etc.

155. Conf. ex auctoritate Ss. Patrum, unde fas est deducere Divinam Apostolicam traditionem. Itaque S. Chrysostomus Hom. XVIII. in citatum locum Act. Apost. dicit. *Ideo baptizans* (Philippus) *Spiritum Sanctum non dabat; hoc enim solorum Episcoporum erat. Virtutem quidem acceperant Diaconi faciendi signa,*

non etiam dandi aliis Spiritum Sanctum : igitur hoc erat in Apostolis singulare : unde et praecipuos, et non alios videmus hoc facere. Sanctus Cyprianus in Epist. LXXIII. ait : *Qui in Ecclesia baptizantur, per Praepositos Ecclesiae offeruntur.* Sanctus Marcianus in dialogo contra Luciferianos dicit : *Non abnuo, hanc esse Ecclesiae consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus Sancti manus impositurus excurrat.* Et rationem adducens, cur tali praerogativa Deus Episcopos donaverit, dicit : *Ecclesiae salus in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors, et ab hominibus eminens quaedam detur potestas, tot futura sunt schismata, quot Sacerdotes.* Item Innocentius I. in Epist. ad Decentium, ait : *Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradat, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quae asserit, Petrum, et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum.* Tandem Concilium Eliberitanum habitum ineunte saeculo quarto sic decrevit can. XXVIII. : *Ad Episcopum eum* (baptizatum) *perducant, ut per manus impositionem perfici possit.*

Solvuntur difficultates.

156. Multa nimis ab Haereticis nobis opponuntur. I. dicunt : Qui potest majus, utique potest quoque mi-

nus. Sed Presbyteri possunt conficere Eucharistiam. Ergo possunt etiam confirmare. II. Ananias non erat Episcopus ; et nihilominus , ut habemus ex cap. IX. Act. Apost. imposuit manus Saulo. III. Si solus Episcopus esset minister Confirmationis , cum rari sint Episcopi, praesertim in regionibus infidelium , multissimi, et quibus major est necessitas , non possent hoc Sacramentum recipere. Ad quid ergo pro majori robore confitendi fidem Christus illud instituit ? Tandem dicunt : negari non potest, quod olim non solum in Ecclesia Orientali , sed etiam in Latina , Presbyteri consueverunt baptizatos confirmare. Etenim de Ecclesia Orientali habemus , quod Photius , qui fuit in IX. saeculo, encyclica epist. ad omnes Patriarchas orientales conqueritur , Legatos Nicolai I. contra antiquum , et receptum morem in Bulgaria improbasse confirmationem collatam a Presbyteris. De Ecclesia autem Latina S. Gregorius in fine saeculi VI. monitus , Presbyteros Calaritanos in insula Sardinia Confirmationem ministrare, primo improbavit , et prohibuit hujusmodi consuetudinem Epist. IX. lib. III. ad Januarium Episcopum Calaritanum. Sed epist. XXVI. ejusdem libri se retractans , dicit : *Nos quidem secundum usum veterem Ecclesiae nostrae fecimus ; sed si omnino hac de re aliqui contristantur , ubi Episcopi desunt , ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant , concedimus.* Ergo etc.

℟. Et ad primum retorquendo argumentum , dicimus: Quivis Sacerdos potest conficere Sacramentum Eucharistiae , quod est majus : Ergo potest quoque ministrare

quaeratur, eam esse respondemus, quia non videtur, posse in dubium revocari, hanc fuisse antiquam consuetudinem Ecclesiae tam Latinae, ut constat ex objectis verbis S. Gregorii ad Januarium Episcopum Calaritanum (§. sup.), et ex Concilio Toletano I. in fine can. XX., quam praesertim Ecclesiae Orientalis, et Ægypti, uti, praeter Morinum in *Exercitatione de Sacram. Confirm.*, testantur Lupus in Dissertatione de VIII Synodo, Lucas Holstenius, et innumeri recentiores Theologi.

Solvuntur nonnullae objectiones.

158. Multa quidem, et a multis contra hanc sententiam objiciuntur, maxime ab Estio, et Petro Aurelio: nos praecipuae afferimus. I. itaque opponunt decretum Nicolai I., qui jussit, iterum confirmari eos, qui sub Photio in Bulgaria confirmati fuerant a Presbyteris Graecis. II. Constitutionem Innocentii III. qua videtur irrita declarari Confirmatio facta a Presbyteris Constantinopolitanis. III. Item Constitutionem Innocentii IV. ad Episcopum Tusculanum Legatum Apostolicum in Regno Cypri, in qua vetantur Presbyteri, ne in posterum confirment. Tandem Instructionem Clementis VIII., in qua non solum idipsum prohibetur, sed praecipitur quoque, ut Episcopi Latini sub conditione repetant Confirmationem iis, qui confirmati fuerant a Presbyteris Graecis, et praesertim qui ad sacros Ordines promoveri debebant.

Hisce omnibus facilis est responsio. Etenim propterea

Nicolaus citatum decretum edidit, quia Bulgaria erat sub jurisdictione Patriarchae Occidentalis, non vero Photii, et idcirco Presbyteri illi egebant legitima delegatione ad Confirmationis Sacramentum ministrandum. Qua de causa illi Presbyteri, juxta Photii errorem, se faciebant ministros ordinarios hujus Sacramenti.

II. Constitutio Innocentii III. respicit Presbyteros Latinos, qui Constantinopoli, quae tunc erat sub jurisdictione Patriarchae Veneti, sine delegatione Pontificis, juxta morem Graecorum, veluti ordinariam sibi arrogabant talem facultatem.

III. Sciendum, quod tunc temporis in insula Cypri, pariter ac Graeci, dominabantur quoque Latini. Cum autem suo more Graeci ministrarent Confirmationem, et non item Latini, id causae erat, ut Latini Presbyteri aspernarentur, veluti inferioris potestatis. Igitur ut hujusmodi inconvenienti consuleret R. Pontifex, unde pax poterat turbari, prudenter se gessit vetando, ne deinceps hoc Sacramentum a simplicibus Presbyteris administraretur.

Tandem Clemens VIII. loquitur de Presbyteris Italo-Graecis, qui subjecti Episcopis Latinis sequi volebant Graecorum morem.

DISPUTATIO III.

De Materia, et forma Sacramenti Confirmationis.

159. Circa materiam, et formam Sacramenti Confirmationis nihil, veluti de fide sancitum fuit a Concilio

Tridentino, neque unquam ab Ecclesia decretum. Habemus quidem hac de re magnam controversiam, sed ipsa habetur in Scholis, salvo vinculo unitatis fidei catholicae. Nos varias tantum exponemus Theologorum sententias, parum, vel nihil solliciti exponendi, et propugnandi nostram.

160. Itaque quatuor sunt sententiae Theologorum circa materiam, et consequenter etiam formam Confirmationis. I. est Isaaci Habert, Sirmondi, et aliorum, qui opinantur, solam impositionem manuum esse essentialem confirmationis materiam. Haec sententia innititur facto Apostolorum, qui, ut habemus ex cap. VIII. v. 17. Actorum, solam manuum impositionem adhibuerunt in confirmando. Confirmatur autem ex silentio antiquorum ritualium, et multorum Ss. Patrum, qui nullius unctionis mentionem faciunt.

II. sententia est Divi Thomae, Bellarmini, Maldonati, Morini etc. qui contendunt, solam Chrismationem esse materiam essentialem, et necessariam Confirmationis, ut quae impositioni manuum substituta fuit ab Ecclesia, cui Christus potestatem fecit determinandi materiam Sacramentorum. Haec sententia nititur praxi Ecclesiae Orientalis, quae sola Chrismatione consuevit confirmare, et etiam auctoritati Eugenii IV. qui in decreto pro unione Armenorum dicit: *Loco manuum impositionis datur in Ecclesia Confirmatio.*

III. sententia est Ruardi Tapperi, qui ex exemplo Eucharistiae, quae idem semper, et unum est Sacramentum sive sub una tantum, sive sub utraque specie ministretur, opinatur, utramque materiam, manus sci-

licet impositionem, et unctionem Chrismatis esse essentialem: ast alterutram sufficere, et adhiberi juxta Ecclesiarum consuetudinem. Et haec sententia innititur argumentis tam primae, quam secundae opinionis.

IV. sententia, scilicet et manuum impositionem, et unctionem Chrismatis simul esse essentialem et adaequatam Confirmationis materiam, est Natalis Alexandri, Juvenini, Ludovici Habert de Confirm. cap. III. §§. I. et II., Tournelli, et ferme omnium recentiorum, etiam doctis. Joannis Perr. in tract. de Confirm. cap. III. §. 72. Pro hac sententia argumenta sumuntur ex Scripturis, ex Euchologiis, et Sanctis Patribus, praesertim Tertulliano, et Cypriano, qui promiscue utriusque materiae mentionem faciunt. Sed quia iterato fit ab Episcopo manuum impositio, primo cum in communi manibus extensis fudit preces, secundo cum unumquemque sacro Chrismate signat, inde sapienter advertit Joannes Perr. ex Benedicto XIV. de Synodo cap. XIX., quod haec, non vero illa, pro essentiali materia hujus Sacramenti habenda sit.

161. De Chrismate autem plura solent quaeri: I. Num ex solis olivis esse debeat oleum, quo conficitur. II. utrum sit necessaria admixtio balsami. III. quo jure divino ne, an vero Ecclesiastico Chrisma debet esse benedictum. Tandem, a quo benedictio isthaec fieri debeat.

Ad primum dicimus, nulli dubium esse, ut debeat esse ex olivis. De altero non convenit inter Theologos. Sed quia cum de Sacramentis agitur, tutior pars tenenda est, idcirco dicimus, quod servanda est hujusmodi

admixtio, et ita quidem ut si praetermissa fuerit, suppleatur, juxta declarationem Innocentii III., aut sub conditione Confirmatio repetatur. Ad tertium dicimus, quod pariter non convenit inter Theologos: alii enim dicunt, esse necessarium jure divino, alii vero ex praecepto Ecclesiastico. Tandem dicimus, Chrismatis benedictionem de jure ordinario pertinere ad solos Episcopos, ut docet Benedictus XIV. in lib. VII. de Synodo cap. VIII. n. 1.: et ex delegatione convenire posse etiam Presbyteris. Sed a quo d legatio isthaec fieri necesse est? Respondemus, quod ex jure antiquo fieri poterat non solum a Rom. Pontifice, sed etiam ab Episcopo ordinario; ast ex jure novo id reservatum est soli R. Pontifici (vid. Bened. XIV. ibid.)

163. Quod ad formam pertinet, res per se perspicua est. Quippe juxta suam propriam sententiam de materia, quisque convenientem formam necessariam dicit. Unde qui alterutram, aut utramque, aut unam tantum essentialem materiam dicunt, alterutram quoque formam, aut utramque, aut unam solam necessariam propugnant formam.

DISPUTATIO IV.

De Confirmationis effectibus.

164. Sacramenti Confirmationis duplicem esse effectum augmentum scilicet gratiae, quam per Baptismum accipimus, sive majus robur Spiritus Sancti pro sustinenda fide, quam in Baptismo profitemur; et spiritualem ac indelebilem characterem, qui in anima impri-

mitur, nemo potest in dubium revocare, quin simul e Sacramentorum numero Confirmationem expungat. Sed prop. IX. jam demonstratum, et vindicatum est (§. 150), Confirmationem esse verum Sacramentum novae legis. Et in prima parte prop. XVI. §. 98. demonstratum est, quod spiritualem, et indelebilem characterem in anima imprimit, ex quo factum est, ut non possit iterari. Ergo nihil ultra necessarium videtur immorari in hac disputatione. Sed quoniam in can. III. sess. VII. ut diximus §. 148., Concilium Tridentinum expresse damnat Novatorum errorem circa Chrismatis virtutem, idcirco non piget aliquid dicere de hac catholica veritate. Sit itaque

PROPOSITIO XI.

Nullam injuriam faciunt Spiritui Sancto, qui aliquam virtutem sacro Confirmationis Chrismati tribuunt.

165. Haec propositio, quae ex allato can. II. Concilii Trident. (§. 148.) ad fidem pertinet, sic breviter demonstratur. Vel Chrisma pertinet ad essentialem Materiam, sive solam, sive partialem, Sacramenti Confirmationis, ut tenet ferme communis Theologorum sententia (§. 160 n. II. III. et IV.), vel saltem, juxta n. 1. (ibidem) est ritus ab Ecclesia ordinatus ad melius significandos hujus Sacramenti effectus. Si primum. Ergo mirifice placet Spiritui Sancto, quoniam divina est illius institutio, saltem per facultatem datam Ecclesiae materiam Sacramentorum determinandi. Si al-

terum: quomodo injuriosum, et non potius gratum Spiritui Sancto, quod virtutem habet nobis significandi Divinam illius gratiam, quae interius per Sacramentum confertur? Quis unquam vitiosos, imo injuriosos dixerit ritus quibus in veteri lege Sacramenta, et sacrificia Deo offerebantur, et in nostra lege evangelica caetera conficiuntur Sacramenta? Optime igitur Concilium Tridentinum oppositum Protestantium errorem citato can. damnavit.

CAPUT III.

De Sacramento Eucharistiae.

166. Quemadmodum ex innumeris beneficiis, quibus Deus cumulare dignatus est Genus humanum, nullum sane est, quod comparari possit cum altissimo, et ineffabili Redemptionis Mysterio: ita certe nullum ex tot operationibus, et signis, quibus infinitam suam charitatem erga nos Christus manifestavit, nullum est, quod comparari possit cum Sacramento Eucharistiae. Sive enim hoc donum consideretur ut Sacramentum, sive inspiciatur ut Sacrificium, Eucharistia caetera Christi Sacramenta excellit, et quodammodo superat quoque Sacrificium, quo in ara crucis pro nobis in hostiam expiationis seipsum Deo Patri obtulit. Quippe in reliquis Sacramentis suam gratiam, aut ejusdem augmentum impertitur, et amicos ex inimicis nos reddit; ast in Sacramento Eucharistiae se totum omnium gratiarum auctorem nobis donat, et in cibum, ac in potum suam carnem, et sanguinem dat nobis, ut sic quasi cum ipso

incorporemur, et unum efficiamur, et idem. Semel in ara Crucis se obtulit hostiam expiationis: sed quotidie, et millies in hora, simili modo, licet incruenter, se offert sacrificium expiationis, et propitiationis. Oh thesaurum infinitae Sapientiae, et charitatis, quod si ore profertur, nullimode mente concipi potest!

Sed quis crederet? Cum magis manifestantur, et augentur mysteria Divinae misericordiae, et amoris, eo magis crescit impietas, et ingratitudo hominum: et adeo quidem, ut etiam tantae charitatis miracula impiissimo ore aspernari audeant, et negare. Abhorret sane, auditores dilectissimi, abhorret mea mens recogitare, et mea lingua proferre quot pestiferos errores, auctore Diabolo, homines excogitare potuerint adversus Eucharistiae Sacramentum. Sed quoniam hoc nostrum princeps munus est, catholica scilicet dogmata contra Haereticos propugnare, fusis primum ad Deum precibus, ut sua gratia nobis dignetur assistere, et tueri, en alacriter ad tantum opus manus admovemus.

167. Ut autem recte, quantum nobis datum est, labor procedat, incipiamus opus est a notione nominis, et definitione hujus tanti Sacramenti. Itaque Eucharistia, quae secundum etymologiam significat gratiarum actionem, variis nominibus appellari solet. Dicitur *coena* ex eo quod in coena a Christo instituta fuit. Dicitur *panis Angelorum*, dicitur *Eulogia*, sive *benedictio*, et *consecratio*; dicitur *communio*, et *viaticum*, dicitur *Sacramentum* Altaris, et *synaxis* quoque; idest *congregatio*, quia multi fideles congregari solent, et etiam participare Christi Corpus: dicitur *Sacrificium*

Missae, et dicitur etiam *Agapa*, scilicet *dilectio*, propter summam charitatem, quam sic erga nos Christus ostendit, et qua se invicem homines amare debent. Definitur autem per *Sacramentum novae legis, quod sub speciebus panis, et vini realiter continet corpus, et Sanguinem Christi Domini, ad spiritualem hominum refectionem institutum.*

DISTRIBUTIO

Eucharistiae tractatus.

168. Quoniam duplicem aspectum exhibet Eucharistia, Sacramenti scilicet et Sacrificii; idcirco in duas partes Theologi hunc tractatum dispescere solent. Hunc morem nos sectantes, in priori parte agemus de Eucharistia, ut est Sacramentum; in altera vero ut est Sacrificium.

PARS I.

DE EUCHARISTIA INSPECTA UT EST SACRAMENTUM.

169. Quia unicum propositum nostrum illud est, propugnare pro Catholica fide, et dissipare oppositos errores, propterea visum est prius exponere, quae de fide circa hoc Sacramentum Ecclesia decrevit in Concilio Tridentino sess. XIII., deinde summatim recensere oppositos errores; et tandem nostrum praeconceptum laborem exponere.

CANONES

Concilii Tridentini Sess. XIII circa Eucharistiae Sacramentum.

Canon I.

Si quis negaverit, in Sanctissimae Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus, et Sanguinem una cum anima, et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit, tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis, et vini, una cum corpore, et Sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, et vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat; anathema sit.

Canon III.

Si quis negaverit, in Venerabili Sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie, et sub singulis cujus-

que speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.

Canon IV.

Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse corpus, et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post; et in hostiis, seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit, vel praecipuum fructum sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios fructus provenire; anathema sit.

Canon VI.

Si quis dixerit, in sancto Eucharistiae Sacramento, Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum; neque in processionibus, secundum laudabilem, et universalem Ecclesiae sanctae ritum, et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idolatras; anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur; anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter, ac realiter; anathema sit.

Canon IX.

Si quis negaverit, omnes, et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum, juxta praeceptum sanctae Matris Ecclesiae; anathema sit.

Canon X.

Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebrandi seipsum communicare; anathema sit.

Canon XI.

Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendum Eucharistiae Sacramentum;

anathema sit. Et ne tantum Sacramentum indigna, atque ideo in mortem, et condemnationem sumatur; statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario praemittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Haeretici, qui male senserunt de Sacramento Eucharistiae.

170. Jam a tempore usque, quo inter homines versabatur Christus, ut habemus ex Evangelio Joannis cap. VI. non solum scandalum passi sunt Judaei ad verba Redemptoris v. 12., *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, quapropter, *Litigabant... ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* sed discipulis quoque durus visus est hic sermo v. 61: *Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt: durus est hic sermo, et quis potest eum audire?*

171. Sed manifestum bellum Eucharistiae declaravit Berengarius Archidiaconus Andegavensis anno 1051. Levis iste homo primo docuit, Christi corpus non realiter, sed figurative tantum esse in Eucharistia. Sed damnatus a Concilio Romano sub Nicolao II. anno 1059 suum errorem ejuravit. At in alium postea lapsus est, negando scilicet veram transubstantiationem panis, et vi-

ni in verum Corpus, et Sanguinem Christi, hoc solum concedendo, quod integris manentibus panis, et vini substantiis, illis localiter conjungi Christi corpus. Sed iterum damnatus in alio Concilio Romano, iterum hunc alium errorem ejuravit, et, ut creditur, catholicus obiit anno 1088.

172. Berengarii errorem sectati sunt Petrus de Bruis, Henricus, Petrus Waldo, unde habemus Waldenses, ut refert S. Antoninus in sua Summa, et etiam Albigenses, quos multo zelo oppugnavit S. Dominicus; nec non Joannes Wiclefus, qui anno 1378 docuit, Christum non esse in Sacramento Altaris realiter, et corporaliter.

173. Anno 1517 divinum hoc Sacramentum insectatus est Martinus Lutherus natione Saxo, qui etsi in Epist. ad Argentinenses dicens se captum a sextu evangelico, confiteatur realem praesentiam Christi Corporis in Eucharistia; in transubstantiationem tamen insurgens scripsit ad Henricum VIII. Angliae Regem, esse articulum fidei, panem, et vinum remanere in Eucharistia; et inde factum est, ut verba Christi, *Hoc est corpus meum*, Lutherani exponant: *In hoc, cum hoc, sub hoc pane est corpus meum.*

174. Sed omnium ferocissimum bellum Eucharistiae indixerunt in tota Germania, Helvetia, Belgio, Anglia, et etiam in Gallia, Carlostadius Canonicus Witembergensis, Oecolombadius Monachus, Bucerus item Monachus, Zuinglius Rector Paroeciae in Helvetia, Calvinus, Sociniani omnes, et Rationalistae. Et hi omnes dicti fuerunt Sacramentarii, ea potissimum ratione

quia Sacramenta, maxime Eucharistiam, summo odio habeant.

175. His breviter praenotatis, ordinem exponimus, quo, si non omnia, praecipua tamen catholica dogmata circa hoc Eucharistiae Sacramentum propugnare statuimus. Et quoniam princeps error, ex quo, veluti e suo principio, caeteri fluunt Sacramentariorum errores, ille est, ut negent veram Christi praesentiam in Sacramento Eucharistiae, ut patet ex illo conciliatorio systemate, quod ex edicto Guillelmi III. anno 1817., pro consociandis inter se variis sectis, in Prussia adoptarunt, ut scilicet omnes pro principio statuerent realem Christi absentiam ab Eucharistia: idcirco ad hoc ipsum principium convellendum, et dissipandum necesse est, ut omnes vires intendamus. Prima itaque, et essentialis disputatio; ex qua caeterae pendent, erit de reali Christi praesentia in Eucharistia. II. erit de modo, quo ibi praesens est. In tertia discutiemus, num in qualibet specie, et etiam specierum partibus sit totus Christus. In IV. videbimus, quo cultu Christus in Eucharistia adorandus sit. In V. disputabimus de modo, quo fidelibus distribuenda sit Eucharistia, num scilicet sub utraque specie omnibus, aut sufficiat in una. Et in VI. tandem aliqua attingemus de materia, forma, necessitate, et effectibus Eucharistiae, nec non de dispositionibus, quibus recipi debeat.

DISPUTATIO I.

De reali Christi praesentia in Eucharistia.

176. Multum certe elaboraverunt Sacramentarii ut evacuarent luculentissimos Sacrae Scripturae textus de reali Christi praesentia in Eucharistia; sed videntes, quod manifestam vim contra illos faciunt, cum, rejecto litterali sensu, figurate interpretantur, et exponunt, in illud suos verterunt conatus, ut scilicet veram repugnantiam assererent in hoc Catholico dogmate. Vanus quidem fuit, eritque iste illorum labor: Sed tamen ne imbecilles, et incautos decipiant, ex hoc ipso nos exordimur. Sit itaque

PROPOSITIO XII.

Nulla vera repugnantia est, ut in Eucharistia sub speciebus panis, et vini sit verum Corpus, et Sanguis Christi.

177. Priusquam nostram probemus thesim, pro certo habemus, omnes physicas leges esse a libera voluntate Dei, a quo ordinatae suspendi, et etiam immutari possunt. Sic ut ignis urat, ut corpora se invicem attrahant, ex quo fit, ut sint gravia, et descendant; ut lux e corporibus reflectat; et inde irritationem producens in nostris oculis sit causa, cur ideas colorum efformemus, et sic de caeteris omnibus ideis, quas di-

cimus proprietates corporum, non exclusis, quas habemus ex tactu, a physicis legibus sunt, et Dei subsunt liberae voluntati. Quippe nemo, nisi praejudiciis prorsus occupatus fuerit, negare potest, quod, nisi externa objecta irritationem producant in exterioribus organis sensoriis, et irritatio isthaec motum excitet in fluido nervoso, aut si placet, in nervis, et motus iste non producat mutationem in fibriculis cerebri, nullam ideam nostrum principium cogitans efformabit, ut patet in iis, qui aliquo vel exteriori, vel interiori morbo laborant. Ergo omnes physicae proprietates, nulla excepta, non formaliter, ut dicunt Scholastici, continentur in corporibus, sed sunt varii modi cogitandi animae nostrae, juxta variam mutationem cerebri causatam a varia actione externorum objectorum, et juxta variam externam, et internam dispositionem nostri corporis. Sed Deus est, qui sic omnia libere disposuit, et cum vult, suspendere, et immutare potest. Ergo omnia subsunt liberae Dei voluntati. Et id adeo verum experitur, ut si ex quacumque causa, vel morbo, aliqua ex dictis mutationibus fiat in cerebro, quin sit exterius objectum agens, nihilominus idea respondens producatur ab anima, uti habemus ex somniantibus, et furiosis, qui vident, et caeteris sensibus nullo excepto, percipiunt objecta, quae non existunt.

178. *Coroll. I.* Ex dictis ergo sequitur, ex Dei voluntate fieri posse, ut externum objectum non amplius existens, perducet tamen consueta mutatio in cerebro, et inde eaedem ideae ab anima efformentur, quae prius concipiebantur, praesente externo objecto.

179. *Coroll. II.* Et item, contra, in Dei potestate est, ut existat externum objectum, quin in nostra organa agat, aut si agat, irritationem exteriorem non producat; aut haec motum non communicet fluido nervoso; aut motus iste non immutet cerebri fibras; aut tandem principium cogitans talem mutationem non cognoscat. Quippe a Deo est tota illa series effectuum, et sub Dei potestate quoque est, ut lex ista Physica persistat, vel cesset, ut eadem maneat, vel immutetur.

180. Secundo. Pro certo quoque ponendum est, quod locus, motus, distantia etc., non sunt res reales, et per se existentes, sed sunt ideae relationis, ant abstractae consequentiae ex ideis sensibilibus. Sic locus non est veluti vas in quo corpora continentur, aut circumscribuntur; sed est simplex relatio coexistentiae, quam ex Dei voluntate substantiae, quae propterea corporeae dicuntur, habent inter se. Sic, si fiat hypothesis, ut una tantum corporea substantia existeret, tunc non amplius haberetur locus. Sed motus est transitio ex uno in alium locum, sive ex una in aliam coexistentiae relationem. Ergo si una tantum existeret substantia corporea, tunc non esset motus. Sed ex pluribus successionibus relationis coexistentiae commensuratur distantia, sicut etiam ex aliquo majori, vel minori labore, quo opus est, ut aliis organis sensoriis, praesertim tactu, idem objectum percipiamus. Ergo si una tantum daretur substantia corporea, non amplius daretur distantia. Sed relatio illa coexistentiae non essentialiter convenit substantiis, sed tantum ratione systematis, scilicet ex libera Dei voluntate. Ergo si ita velit Deus, possunt

substantiae corporeae persistere in existentia, quin sint in loco, quin moveantur, quin prope sint, vel longe quin sint durae, quin impenetrabiles, quoniam impenetrabilitas est occupatio loci cum exclusione aliorum, quin videantur, et quin caeteras sensibiles qualitates habeant. Sed quae ex Dei voluntate creaturae habent, ex Dei pariter voluntate (aeterna quidem, quae semper est eadem, et in actu) iisdem privari possunt. Ergo sicut potest Deus efficere, uti supra demonstratum est, ut percipiamus aliqua corpora, quin ipsa actu in organa exteriora agant, ita efficere quoque potest, ut alia revera existant, quin a nobis valeaut percipi. Conf. quae diximus in II. p. lib. I. §. 167, et in lib. III. §§. 81. et seq.

181. Quibus positis, sic nostram thesim demonstramus: et quidem primo negative. Tunc vera contradictio, et repugnantia habetur, cum quod unum affirmat, aliud in terminis neget, aut quod unum ponit, aliud auferat; aut, si placet, cum essentia, aut attributa essentialia unius, destruant essentiam, et attributa essentialia alterius. Sed intrinseca natura, et essentia substantiarum est nobis prorsus incomperta, et nonnisi phaenomena sunt, quae de illis percipimus, quoniam nonnisi effectus cognoscimus, quos in nobis producunt, et ignoramus prorsus quomodo, et quare id fiat, necessario nec ne, an vero accidentaliter, et contingenter. Ergo maxima temeritas est asserere veram intrinsecam repugnantiam in Sacramento Eucharistiae ex quo, dum non aliud in illa constanter experimur, nisi panem, et vinum; tamen Ecclesia Catholica de fide tenendum docet,

ibi nullam esse substantiam panis, et vini, sed solum esse verum Corpus, et Sanguinem Christi Domini, sub speciebus panis, et vini.

182. *Prob. II.* positive. Ex eo repugnantiam in Sacramento Eucharistiae repetunt Haeretici, maxime Sociniani, et Rationalistae, quod ibi non experimur, nisi panem, et vinum, et item vini effectus, et panis, et etiam, facta Chymica analysi, nihil repertum est substantiae animalis, sed tantum vegetabilis. Item nihil omnino ibi experimur humani Christi corporis, neque ullam necessariam, et essentialem proprietatem ejusdem. Nunquid, dicunt, existere potest verum physicum corpus, quin sit in loco, quin sit figuratum, quin sit sensibile, et quod est maximum, quin sit impenetrabile? Procul dubio, sic insistunt, extensio, et impenetrabilitas sunt attributa, quae constituunt essentiam corporis. Nunquid ergo fieri potest, ut corpus existat sine sua essentia? aut existant attributa necessaria panis, et vini, et non existant substantiae illae? et quod majus est, ut existant species, quae certe aliud non sunt, nisi proprietates, sive modi existendi, quin existant illae substantiae panis, et vini, quarum sunt proprietates, et existendi modi? Quippe ad haec redeunt omnia momenta, et rationes Haereticorum pro statuenda vera repugnantia in Sacrosancta Eucharistia.

183. Sed ex demonstratis (§. 177, et seq.) haec omnia vana prorsus sunt. Etenim quas dicimus proprietates corporum, nulla excepta, non sunt illis essentiales, sed eisdem conveniunt tantum ratione systematis, et propterea libera subsunt Dei voluntate. Ergo ex

eadem voluntate Dei possunt illis privari, quin desistant existere: et item potest Deus efficere, ut nos illarum ideas efformemus, quin in corporibus existant, quia ideae, non formaliter inhaerent rebus, sed sunt nostri modi cogitandi juxta mutationem fibrarum cerebri, quae ut dictum est, fieri potest, quin actu existant corpora exteriora, et potest etiam non fieri, etsi illa existant. Non negamus, quinimo pro viribus propugnamus, id fieri non posse sine magno miraculo, quod est actio contra, vel supra physicas naturae leges. Sed id evincit impossibilitatem, et repugnantiam physicam, non vero absolutam, quasi non possit Deus illam superare.

184. Quod vero ad essentiam corporis pertinet, quam Heterodoxi, pro sua tuenda causa, dicunt reperiri in extensione, et impenetrabilitate, respondemus, id verum esse de corpore ut est species, idest ut est idea abstracta, et universalis, non vero ut est substantia individua. Certe ablata impenetrabilitate, et figura ex idea universali corporis, non amplius habetur in nostra mente idea corporis: sed non ita verum est de corpore individuo, cui non essentialiter convenit agere, nec agendo, necessario, et absolute fieri debet mutatio in cerebro, quam anima cognoscens ideam corporis efformat.

Resolvitur unica difficultas.

185. Multa quidem ab Haereticis objiciuntur: sed cum ipsa nihil aliud evincere possint, nisi repugnantiam,

physicam, idcirco omnia soluta remanent ex multis, quae de hac re jam dicta sunt. Sed nihilominus illud unum contra afferimus, quod scilicet nostra catholica doctrina circa Eucharistiam, Dei opponitur veracitati, quoniam perpetuo nos deciperet Deus, ut qui disposuit, ut constanter sentiamus qualitates panis, et vini non existentium, et nullimode percipiamus Christi corpus, et sanguinem realiter existentem.

Sed vana prorsus est hujusmodi difficultas. Sexcentis, et apertissimis testimoniis Christus ipse, et Apostoli nos monent de hoc stupendissimo miraculo: quomodo ergo mendax Deus, si aliter res se habet, quam sensus repraesentant? Nunquid mendax, qui manifeste dicit, sua signa, in datis circumstantiis, non amplius rem consuetam significare, sed aliam diversam? Serio Scriptura nos monet de apparentia panis, et vini sine realitate, et de realitate Corporis, et Sanguinis Christi sine apparentia. Ergo nullimode mendax Deus, qui sic operatur.

PROPOSITIO XIII.

In Sacramento Eucharistiae non in signo, figura, aut virtute, sed vere realiter, et substantialiter continetur Christi Corpus, et Sanguis una cum ipsius anima, et Divinitate.

186. Haec propositio de fide tenenda est in omnibus suis partibus, sicut definitum fuit a Concilio Tridentino sess. XIII, can. I. (§. 169). Et sic probatur I. ex Scripturis. Matth. cap. XXVI. v. 26. et seq. haec ha-

bemus de Sacrae Eucharistiae institutione: *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: accipite: et comedite, hoc est corpus meum: et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, Et Marci cap. XIV. v. 22. similiter legimus: *Manducantibus illis, accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, hoc est Corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur*. Et item Lucae cap. XXIII. v. 19.: *Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in meo sanguine qui pro vobis fundetur*. Et haec eadem repetit Apostolus in I. ad Corinth. cap. XI. v. 23. dicens: *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur accepit panem, et gratias agens, fregit, et dixit: Accipite, et comedite: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine etc*. Procul dubio haec testimonia ita clara, et praecisa sunt, ut nulla indigeant explicatione, et

interpretatione, quoties litterali sensu accipi debeant. Sed litterali sensu accipienda sunt: I. quia nihil est, cur ad figuram, et metaphoram confugiamus, ut Rationalistae sine ratione contendunt. II., quia nullimode fas est in illis a litterali sensu recedere. Ergo etc.

187. Et quidem primo: Tunc fas est ad figuram, et metaphoram confugere, cum aliquod absurdum ex litterali sensu sequeretur, aut aliunde ex clariore contextu sic pro certo habemus. Sed nullum absurdum sequitur ex litterali sensu illorum testimoniorum, neque ex contextu quid aliter habemus. Et quidem. Quod absurdum videtur recentioribus Protestantibus, est repugnantia, ut existant species, sive proprietates, aut modi existendi substantiarum panis, et vini, quin existant substantiae ipsae; et contra, ut aliae substantiae revera existant, ut Corpus, et Sanguis Christi, sine suis proprietatibus, uti sunt extensio, et impenetrabilitas. Sed id falsum prorsus demonstratum est in superiori thesi §. 177. Ergo etc. II. Nullum adhuc aliud testimonium a Sacramentariis allatum est, ex quo, non dicam clare, ut opus esset, sed nequidem suboscurae, oppositum constat. Ergo ad arbitrium prorsus, juxta suum morem, quae attulimus testimonia, volunt interpretari.

188. Quinimo ex contextu constat, quod absolute sequi debemus sensum litteralem. Etenim Joannis cap. VI. Christus ponens antithesim inter manna, quod de Coelo lapsum Judaei manducaverunt in deserto, et seipsum, non illud, sed se verum panem dicit de Coelo descensum; ait enim v. 51. *Ego sum panis vivus,*

qui de Coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; *et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Sed manna non figurate, sed in vero sensu litterali accipitur pro cibo: ergo pro vero cibo quoque, qui ore comeditur et vitam in anima operatur, accipienda est Christi caro. Et quidem, eo sensu accipienda sunt recitata Christi verba, quo acceperunt Judaei, et Christi Discipuli. Sed isti acceperunt in vero sensu litterali, ut patet ex scandalo, quod propterea passi sunt, ut de illis habemus v. 53: *Litigabant ergo Judaei ad invicem dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Et de discipulis v. 61.: *Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt: durus est nobis hic sermo, et quis potest eum audire?* Ergo litteraliter quoque a nobis Christi verba sunt accipienda, propterea quod, quo sensu quivis sermo accipiendus sit, melius agnoscunt illi, quibus factus est, quam qui post saecula dictum esse audiunt. Sed adde. Si figurato, et non litterali sensu, quo Judaei acceperunt, Christus fuisset locutus, certo illorum errorem ipse explicare debuisset, secus sine fructu fuisset locutus. Sed id Christus non fecit, sed confirmando institit. Etenim v. 24 e vestigio subdit. *Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quis hic non videt Christum confirmantem litteralem sensum, quo Judaei sua verbo acceperant? Ergo dicendum, quod in Sacramento Eucharistiae etc.

189 II. Cum dubium insurgit de aliquo sensu Scripturarum, ipsum non solvendum est ex privato Spiritu Novatorum, sed ex divina apostolica traditione, quae est altera fidei nostrae regula, et item ex auctoritate Ecclesiae, cui Christus adpromisit suam praesentiam, et infallibilitatem. Sed divina apostolica traditio, quam habemus ex communi doctrina Sanctorum Patrum, et Ecclesiae auctoritas plene evincunt litteralem sensum verborum Christi, quae attulimus. Et quidem circa Sanctos Patres nullus est, in quovis saeculo, qui litterali sensu illa verba non acceperit. Sic Irenaeus in libro IV, Cyrillus Alexandrinus in caput VI. Joannis, Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi IV., Ambrosius in lib. de initiandis cap. VIII., Sanctus Leo Homil. VI, Theodoretus lib. IV. Hist. Eccl. cap. II., Sanctus Cyprianus, qui in lib. de oratione dominica scripsit: *Quando ergo dicit in aeternum vivere, si quis ederit de ejus pane, manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt, et Eucharistiam jure communicationis accipiunt*; S. Hilarius Pictaviensis, qui in lib. VIII. de Trinitate ait: *De veritate carnis, et Sanguinis non relictus est ambigendi locus*; S. Joannes Chrysostomus Homil. XLV. in Joannem dicit: *Unum corpus sumus, et membra ex carne, et ossibus ejus . . . Ut autem non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem convertamur: per cibum id efficitur, quem nobis largitus est . . . Ut suum in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus, sed et tangi, et manducari, et dentes carni suae infigi*; S. Joannes Dama-

scenus lib. IV. de fide cap. XIV: dicit: *Non est figura panis, et vinum Corporis, et Sanguinis Christi; absit enim hoc; sed est ipsum corpus Domini.* Theophylactus in caput XXVI. Matth. explicans Christi verba *Hoc est corpus meum*, inquit: *Ostendit quod ipsum corpus est panis, qui sanctificatur in altari, et non respondens figura; non enim dixit; hoc est figura, sed hoc est corpus meum.* S. Hieronymus in Epist. ad Hediam dicit: *Nos audiamus, panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis, esse corpus Domini Salvatoris. . . Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus ipse conviva, et convivium; ipse comedens, et qui comeditur.* S. Augustinus, quo praesertim, suo more, abutuntur Protestantes, in mille locis hanc docet fidei veritatem, sed praesertim in serm. ad Neophytos ait: *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, hoc accipite in calice, quod manavit de Christi latere.* Brevitatis causa omittimus ceteros, praesertim S. Thomam, et S. Bonaventuram, qui multa, et mira scripserunt de Christi reali praesentia in Eucharistia, ille quidem in III. parte suae admirabilis summae, et hic in tota quaest. LXXV., et in opusculo speciali de hoc Sacramento, maxime in celeberrima *sequentia*, quae a tota Ecclesia Occidentali decantatur in Missa Corporis Christi (Ant. Boucat tom. VI. dissert. III. de Euch. Sacr. §. X.)

190. Quod ad Ecclesiam pertinet, nihil est, ut immoremur. Etenim haec fuit doctrina universalis tam in Oriente, quam in Occidente a tempore usque Aposto-

lorum, uti habemus ex libro passionis Apostolis Andreae fratris Petri, quem Bellarminus lib. II. de Eucharistia cap. I. habet pro genuino. Itaque in illo libro ita respondisse legitur Ægeae sciscitanti. *Ego Omnipotenti Deo Immaculatum Agnum quotidie Sacrifico . . . qui cum sit vere sacrificatus, et vere a populo carnes ejus manducatae, integer perseverat; et vivus.* Et Bellarminus ipse pag. 550. subdit: *In quibus verbis illud*; vere manducatae, *excludit manducationem in solo signo, et Spiritu.*

191. Sed Ecclesiae doctrina clarius patet ex Conciliis quae illam universam repraesentant. Itaque I. Concilium Alexandrinum approbatum, de reali praesentia Christi in Eucharistia explicavit verba Joannis cap. VI. II. Similiter Synodus Ephesina generalis in sua epistola ad Nestorium exponit verba Christi apud eumdem Joannem ibidem v. 24. *Nisi manducaveritis* etc. III. Idipsum declaravit Concilium Nicaenum Oecumenicum art. VI. Tandem de eadem realitate Concilium Tridentinum explicavit Christi verba: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me* (sess. XIII. cap. II.) et decretum quoque edidit can. 1. (§. 169.)

Solvuntur objectiones.

192. *Ob.* I. Testimonia, quibus Theologi Romanenses evincere conantur realem Christi praesentiam in Eucharistia, maxime Joannis cap. VI., non naturali, et litterali sensu, sed de spirituali tantum sunt accipienda, scilicet de fide in Christum. Ergo etc. *Prob. ant.*

In laudato Joannis testimonio postquam de vero naturali pane multiplicato sermo factus est v. 11. et seq., Christus v. 27. ait: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.* Sed haec verba non indicant cibum, qui ore comeditur, sed spiritualem, qui concipitur mente, scilicet fidem in ipsum Christum, prout est Filius Dei, ut explicat August. tract. XXV. in Joannem, Cyrillus lib. III. c. XXIX., et alii. Ergo spirituali sensu similiter accipienda sunt caetera verba, quae sequuntur.

℟. Utique concedimus Christum in laudato Joannis testimonio ex vero naturali cibo in deserto multiplicato occasionem sumpsisse loquendi de seipso veluti spirituali cibo in vitam aeternam, qui procul dubio est fides in ipsum verum, et consubstantialem Filium Dei Patris, et a Patre missum ad aeternam nostram salutem operandam. Sed id non excludit, ut pro indicando suo infinito amore erga nos, et pro corroboranda sua divina gratia, ut securius assequeremur Redemptionis fructum, dederit quoque realiter nobis edendum suum corpus, et sanguinem bibendum, ut cibum, et potum, utique pro fine spirituali, qui est corroboratio animae in vitam aeternam, non vero nutritio corporis pro tuenda vita naturali. Itaque quod propugnant Theologi Romanae communionis est, quod Christus est panis, et cibus spiritualis scilicet pro salute aeterna nostrarum animarum de Coelo a Patre missus: ast quod realiter quoque sub speciebus panis, et vini, nobis reliquit suum corpus manducandum, et suum sanguinem bibendum, non qui-

dem pro substinendis corporis viribus, sed pro animae gratia corroboranda. Et id evincunt verba quae sequuntur v. 52.: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et v. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quid haec cum simplici signo, et figura, si apponuntur, et praecipiuntur veluti conditio, ut assequamur aeternam gloriam quae est fructus, et effectus nostrae fidei in Christum verum Deum e Coelo missum a Patre? Nihil autem dicimus de Augustino, et Cyrillo, quoniam eorum sententia et doctrina de reali praesentia Christi in Eucharistia patet ex §. 189.

193. *C.* Atqui verba, quae in laudato Joannis capite leguntur, indicant, Christum locutum fuisse non in sensu litterali quasi realiter, licet pro fine spirituali, et non corporali, dare voluisset suum corpus manducandum. Ergo n. r. *Prob. subs.* Verba, quae sequuntur v. 52.: Panis, *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, posito sensu spirituali, et allegorico, ut non dissentiunt Romanenses, hunc reddunt sensum: *Caro mea, quam brevi pro vobis dabo lacerandam, et cruci affigendam, est panis, sive medium pro vita aeterna.* Ergo etc.

℞. *negando ant.* Etsi concedatur, allata verba, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, spirituali sensu significare Christi passionem, et carnis lacerationem, ex qua repetenda foret hominum redemptio, et vita aeterna, nihilominus clarissime indicant quoque sensum litteralem, scilicet quod vere Chri-

stus in Eucharistia daturus esset suum corpus edendum, et sanguinem suum bibendum. Etenim post laudata verba immediate sequitur. *Litigabant ergo Judaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Procul dubio verba ista indicant, Judaeos in sensu litterali, et de vera manducatione, accepisse Christi verba. Ergo, ne vanus redderetur sermo, Christus si loqui voluisset in solo sensu figurato, id manifestare debuisset, ut in similibus circumstantiis consueverat facere. Sed non fecit: quinimo eumdem confirmavit loquendi modum: *Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis*: Ergo dicendum, quod in utroque sensu Christus fuit locutus, figurato scilicet de sua passione, quae futura esset causa vitae aeternae, et litterali etiam de vera oris comestione, pro pignore sui infiniti amoris, et pro Sacramento gratiam sanctificantem corroborante.

194. *C.* Atqui in solo sensu spirituali, et figurato interpretandus est totus Christi sermo apud Joannem cap. VI. Ergo etc. *Prob.* Ea praesertim de causa Romanenses, praeter sensum spiritualem propugnant quoque litteralem, quia de isto murmurantibus Judaeis, non illos Christus redarguit de errore, nec docuit quo sensu erat locutus. Sed hoc est falsum. Ergo etc. *Prob. min.* Ibidem v. 61. legimus: *Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo et quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurabant de hoc discipuli ejus,*

dixit eis : Hoc vos scandalizat ? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius ? Spiritus est , qui vivificat : caro non prodest quidquam: Verba , quae ego locutus sum vobis , spiritus , et vita sunt. Quis hic non videt prorsus exclusum sensum litteralem , et solum spiritualem et figuratum esse retinendum ?

℟. Et quidem ad priora verba dicimus cum Toleto apud Jacobum Tirinum in hunc locum : *Hoc vos scandalizat , quod ego ipse jam praesens vobis et adhuc passibilis , et post tam evidens miraculum multiplicatorum recens quinque panum , et post tot alia miracula , quibus probo , me omnia posse ? dico me eadem potentia daturum vobis carnem , et sanguinem meum in cibum , et potum ; quomodo in vobis persuaderi sinetis , cum sublatus in coelum , immortalis , et procul absens , per solos discipulos , et ministros meos idem inculcabo ? Nempe tunc acclamibitis : Non posse carnem , quae in coelis est , et impassibilis revera manducari in terris. Et tamen necessarium vobis est id credere , si salvari velitis.*

Ad caetera verba item respondemus cum eodem Tirino ibidem. *Spiritus est , qui vivificat* , idest , Divinitas mea carni meae unita vitam omnem de qua hactenus egi , et potentiam vivificandi tribuit : sola enim *caro* mea nihil ad hoc *prodesset.* Ita Cyrillus lib. IV. cap. XXIV. , Leontius , Rupertus. Unde *verba , quae* , de manducanda carne mea , *ego locutus sum vobis* non sunt intelligenda de nuda carne

mea, ut a Spiritu meo, seu Divinitate sejungeretur, ut vos imaginamini; sed de carne mea, prout simul *spiritus est*, seu Divinitati hypostatice conjungitur, sic enim, et non aliter, *vita est*, et vivificat. Et consequenter intelligi non debent mea verba de comestione instituenda modo mere carnali, quasi praecisurus sim particulas quasdam de visibili hoc corpore meo, vobisque dilaniandus daturus; ait S. Augustinus tract. XXVII. in Joannem, et in verba Psal. XCVIII. *Adorate scabellum*: nam talis comestio, et impia, et indocens, ita prorsus inutilis esset. Sed intelligi debent de comestione instituenda modo spirituali, seu spiritui accomodato, nempe quo totum, vivum, et illaesum corpus meum sub speciebus panis, et vini invisibiliter, sed tamen realiter, et substantialiter praesens sumetur, per modum Sacramenti, quo res invisibilis, signis visibilibus tecta recipitur.

195. *C.* Atqui repetitum Joannis caput VI. nonnisi de sola fide in Christum veluti de coelo descensum ad hominum salutem operandam accipiendum est. Ergo etc. *Prob.* Cum ex modo recitatis Christi verbis multi ex discipulis ejus scandalizati illum reliquissent, et ipse propterea interrogasset duodecim, num idem ipsi facere vellent, sic pro omnibus v. 69. Simon Petrus sermonem terminans respondit: *Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes. Et nos credimus, et cognoscimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Sed verba ista quae sunt conclusio totius sermonis, non aliud indicant, nisi fidem in Christum Filium Dei de Coelo descensum. Ergo hoc ipsum, et non aliud, continet pluries repetitum Joannis caput.

℟. Ex hactenus responsis patet quanti facienda sit haec tertia objectio. Itaque damus libenter, quod princeps Christi scopus sui sermonis cum turba apud Capharneum fuit illos docere suam divinitatem: sed verum quoque est, quod in illa disceptatione volens demonstrare suam virtutem divinam, et missionem a caelesti Patre, et simul Charitatem infinitam erga homines, argumentum sumit ex miraculo operato in multiplicando panem ad beneficium vitae mortalis, et inde transit ad aliud magis stupendum miraculum, quod operaturus esset in institutione Sacramenti Eucharistiae, in quo pro aeterna salute animarum, sub speciebus panis, et vini, suum corpus daret manducandum, et suum sanguinem bibendum. Et id recte deducitur ex quo, cum audivit murmur excitatum propterea quod dixerat, se in cibum daturum esse suam carnem, non solum non revocavit sua verba, neque alio sensu accipienda esse dixit, sed omni studio confirmavit. Et mirifice confirmatur ex objectis Petri verbis: *Nos credimus, et cognoscimus, quia tu es Christus Filius Dei vivi.* Quae certo hunc sensum reddunt, scilicet: *Nos credimus omnia, quae dixisti, nimirum quod vere es Filius Dei de Coelo missus pro salute hominum: quod vera virtute divina, sicut multiplicasti panem in deserto, sic majori miraculo, sub speciebus panis tuam carnem dabis manducandam: et tandem, quod peracta redemptione, iterum in coelum ascendes.*

196. *C.* Atqui verba Christi saepe laudati testimonii Joannis accipienda sunt in solo sensu spirituali. Ergo etc. *Prob.* Ibidem v. 57. Christus ait: *Qui mandu-*

cat meam carnem , et bib t meum sanguinem , in me manet , et ego in illo. Ergo sumentes Eucharistiam manebimus in Christo eodem modo , quo Christus manet in nobis. Sed nos manebimus in Christo spiritualiter tantum , scilicet per gratiam. Ergo per solam gratiam pariter Christus manet in nobis. Et propterea etc.

R. *Dist.* illationem factam ex Christi verbis. Sumentes Eucharistiam uno tantum ex duobus modis , quibus Christus manet in nobis , et nos manemus in illo , *conc.* manemus utroque modo , *neg.* Itaque duplici modo per Eucharistiae Sacramentum Christus manet in nobis, spirtualiter scilicet sua gratia , qua nostrum spiritum vivificat , et corroborat , et realiter quoque suo corpore et sanguine in nobis inhabitat, quamdiu integrae manent species panis , et vini , licet non secundum physicas naturae leges , sed modo sacramentali, id quod , ut supra diximus, Dei subest potestate. Ast non ita nos manemus in illo , sed sola participatione gratiae , qua amici , et quasi unum cum illo efficimur. Et ratio discriminis est, quia non nostrum in corpore illius manet; sed corpus illius in nostro , et id non modo naturali (iterum dicimus) quasi a nobis digeratur , et inde ex duobus quasi unum fiat corpus, sed tantum sacramentali , sola scilicet reali sua praesentia.

197. *Ob.* II. Marci cap. XIV. v. 22. habemus: *Manducantibus illis , accepit Jesus panem , et benedicens , fregit , et dedit eis , et ait: Sumite , hoc est corpus meum.* Ex quibus sic: Procul dubio consecratio panis a Christo facta est , cum illum benedixit , *benedicens.* Sed post benedictionem adhuc erat

verus panis, et id non solum quia panis a Christo appellatur, sed etiam quia dicitur fractus, id quod dici nequit de vero, et reali Christi corpore. Ergo in Eucharistia realiter est substantia panis, et figurate Christi corpus.

℟. Concedimus utique, quod Christus prius consecravit panem, et postea communicavit Apostolos. Quod autem negamus, est, quod consecratus panis per verbum *benedicens*, aut per verba subsequentia, verus panis permanserit, et non potius conversus fuerit in verum Christi corpus, permanentibus tamen panis speciebus, quae non sunt, nisi ejusdem effectus in nostris organis sensoriis, et inde in fibriculis cerebri, unde respondens idea in nostra anima habetur. Quippe id non in se repugnat, quia leges physicae, quae suspenduntur, subsunt Dei voluntate, ut demonstratum est (§. 177., et seg.): et quod revera ita a Christo divina potestate factum sit, constat ex probationibus. Nec obstat, quod adhuc panis dicitur, et quidem frangibilis: I. quia sic apparet sensibus: II., quia ex pane conversio facta est in Christi corpus. Sed requidem vera serio appellatur corpus. *Sumite, hoc est corpus meum.* Unde Boucat dissert. III. de Euch. Sac. ad objectionem Calvini, ait: *Haec propositio Christi panem prae manibus tenentis, ac dicentis:* Hoc est corpus meum, *verissima fuit, quia cum esset practica, et factiva rei, quam significabat, ad ejus veritatem sufficiebat, quod in fine illius, hoc, quod Christus demonstrabat, nempe panis, in corpus Christi per transubstantiationem transisset.*

198. *C*. Atqui laudata Christi verba apud Marcum figurate tantum, et nullimode litteraliter accipienda sunt de corpore Christi in Sacramento Eucharistiae. Ergo etc. *Prob*. Post laudata verba de pane, sic Christus subdit de vino: *Et accepto calice, gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes: Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei*. Sed verba ista figurate tantum accipienda sunt de Christi sanguine, et vero litterali sensu de vino; quoniam non solum pro tunc praesenti tempore, et futuro appellat genimen vitis, sed quia abhorret cogitare ut Christus in Coelo apud Patrem bibat suum sanguinem. Ergo sic pariter sunt accipienda priora verba de pane.

℟. Et quidem retorquendo, ut dici solet, argumentum. Procul dubio si abhorret dicere, ut Christus in Coelo apud Patrem suum bibat sanguinem, aeque etiam abhorret, ut ibidem vacet commessationibus bibendo vinum. Ergo aliter, quam Sacramentarii dicunt, accipienda sunt praedicta Christi verba. Scilicet verba sequentia, *Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis* etc., non intelligenda sunt de calice Eucharistico, sed de vino adhibito in coena usuali, ut scripsit D. Thomas in hunc locum: *Sequitur*, Amen dico vobis, *quod et Theophilactus. Quasi diceret, non bibam de vino usque ad resurrectionem: regnum enim resurrectionem vocat, quasi tunc regnaverit contra mortem; post resurrectionem vero bibit cum discipulis, et comedit ostendens, quod*

idem ipse esset, qui passus est. Novum autem bibit illud, id est, novo quodam modo, et alieno. Non enim corpus habebat passibile indigens cibo, sed immortale, et incorruptibile.

199. *C.* Atqui repetita verba non litteraliter, sed figurate accipienda sunt. Ergo etc. *Prob.* Eucharistia, quam dicta verba indicant, est Sacramentum. Sed Sacramenta sunt in genere signorum, quae aliud diversum, et remotum significant. Ergo etc.

℟. Utique Sacramenta sunt in genere signi, sed practici tamen, non vero speculativi: ex quo fit, ut quod significant, realiter quoque vel continent, vel operantur. Quod si necesse est ut res contenta, vel operata sit diversa, quia secus non esset signum, id utique verum verissimum habemus in Eucharistia. In ea enim aliud est, quod sensibus repraesentatur, et aliud quod operatur, significat, aut continet. Repraesentantur sensibus verba consecratoria et species panis, et vini, et tamen illa operantur transubstantiationem, et hae significant, et continent verum corpus et Sanguinem Christi Domini.

200. Libenter omittimus quae a recentioribus Sacramentaris objiciuntur ex repugnantia, ut in Eucharistia non amplius existat panis, quem constanter omnibus sensibus experimur, et contra realiter sit Christi Corpus sine ulla sensibili qualitate physica quoniam facile quis ex se dissipabit ex probationibus praecedentis propositionis XI. Ex multis autem Patribus, quorum dictis abutuntur, unum, vel alterum afferimus, Origenem scilicet, et Augustinum. De illo Sacramentarii ur-

gent quae in Comment. in Matth. n. 85. dicit, scilicet. *Non enim panem illum visibilem, quem tenebat in manibus, Corpus suum dicebat Deus Verbum, sed verbum, in cujus mysterium fuerat panis ille frangendus. Nec potum illum visibilem Sanguinem suum dicebat, sed verbum, in cujus mysterio potus ille fuerat effundendus. Nam corpus Dei Verbi, aut Sanguis, quid aliquid esse potest, nisi verbum, quod nutrit, et verbum, quod laetificat cor?*

De Augustino autem multa in medium proferunt, sed tria praesertim: scilicet. I. quae in caput XV. de doctrina Christiana docet pro distinguendo sensu figurato a litterali: *Si praeceptiva*, ait, *locutio est aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentia jubens, non est figurata. Si autem flagitium, aut facinus videtur jubere . . . figurata. Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et Sanginem biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus, vel flagitium, videtur jubere; figura est ergo praecipiens Passioni dominicae communicandum, et suaviter, atque utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro ejus crucifixa, et vulnerata sit.* II. loquens de manducatione Corporis Christi in tract. XXV. in Joann. ait: *Ut quid paras dentes, et ventrem? Crede, et manducasti.* III. tract. XXVI. inquit. *Credere in eum, hoc est manducare panem vivum, qui credit, manducat.* Ergo, inquiunt Sacramentarii, verba Christi circa Eucharistiam apud Apostolum, et apud Evangelistas, non litterali, sed figurato sensu sunt accipienda.

♥. Et primo ad Origenem quod pertinet, dicimus, ipsum loqui de speciebus panis, et vini, quae in Eucharistia apparent, non vero negat, ibi realiter existere Christi Corpus, et Sanguinem, etsi non appareat. Et id per se clare innuunt sua verba, *panem illum visibilem, quem tenebat in manibus* etc. Porro, quod Christus visibile tenebat in manibus, non erat sui Corpus, sed panis. Ergo dicere volebat Origenes, quod non species, quae videbantur, erant Christi Corpus, sed quod verba indicabant, licet visibile non esset. Et haec quidem est fides Catholicorum, scilicet quod in Eucharistia videmus, et experimur proprietates panis, et vini, quin substantiae illae existant; et quod realiter ibi existit Christi Corpus, quin illud videamus, et experiamur. Non negamus, quod posita veritate de reali existentia Christi Corporis juxta assertionem ejusdem, qui nullimode mentiri potest, Origenes secundum suum morem, transit ad sensum allegoricum, ut ibidem jam dixerat: *Panis iste, quem Deus Verbum Corpus suum esse fatetur, Verbum est nutritivum animarum.*

Pessime autem Adversarii agunt, cum ad hoc sanctissimum dogma infirmandum invocant auctoritatem Doctoris Augustini, qui prae omnibus hanc veritatem docuit, et propugnavit, uti praesertim habemus ex ingeniosa expositione verborum Psal. XCVIII. *Adorate scabellum pedum ejus*, ubi inter caetera dicit: *De carne Mariae carnem accepit . . . . Et ipsam carnem nobis manducandum ad salutem dedit.* Itaque ad primum dicimus, quod S. Doctor loquitur in sensu carnali Capharneorum, non vero in sensu Catholi-

corum. Et quidem in tract. XXVIII. n. 5. in Joannem exponens Christi verba. *Caro non prodest quidquam*, ait: *Domine Magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris, nisi quis manducaverit carnem meam* etc. . . . *Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt; carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.*

Ad II. et III. dicimus, quod ibi S. Doctor proprie loquitur de fide in Christum, et propterea explanans Christi verba Joan. cap. VI. v. 29: *Hoc est opus credatis in eum, quem misit ille*; et alia ib. v. 35. *Ego sum panis vitae: qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam*, laudata verba scripsit n. 1, et 12 in tract. XXV. in Joan. Ergo loquitur de fide in Christum, pro certo semper ponens realem quoque ejus praesentiam in Eucharistia.

DISPUTATIO II.

De modo, quo Christus est praesens in Eucharistia.

201. Quoniam Concilium Tridentinum sess. XIII. ad primum canonem de reali, et substantiali praesentia totius Christi in Eucharistia alium addidit de modo, quo ibi praesens est, scilicet per veram conversionem, sive transubstantiationem totius substantiae panis, et vini in verum Corpus, et Sanguinem Domini; inde per se patet, quod dogma istud diversum est ab illo de reali praesentia. Et quidem de praesentia reali a Catho-

licis dissentiunt Calvinistae, qui illam prorsus rejiciunt, nobiscum tamen conveniunt Lutherani; sed non item de modo. Omnes quidem negant veram substantiarum conversionem, licet non conveniant inter se de modo, quo id fiat. Nonnulli enim invexerunt vocabulum *impanationem*, quasi Christus Deus, homo hypostatice unitur cum pane; et alii adhibentes vocabulum *consubstantiationis* dicunt, Christi Corpus in Eucharistia esse in pane, cum pane, et sub pane. Nos itaque, vindicata reali praesentia adversus Calvinistas, signa nunc convertimus contra Lutheranos pro asserenda vera, et tota conversione, sive transubstantiatione panis, et vini in verum Corpus, et Sanguinem Domini, prout a Conc. Trident. sancitum fuit sess. XIII. can. II. Sit ergo de fide.

PROPOSITIO XIV.

Per consecrationem Eucharisticam tota substantia panis, et vini convertitur in Corpus, et Sanguinem Christi.

202. *Prob.* Ut in superiori propositione XIII. demonstratum, et vindicatum est, in Sacramento Eucharistiae vere, et realiter continetur Christus, prout est verus Deus, et verus homo, ita ut vero litterali sensu, non dissidentibus Lutheranis, et non figurato, accipienda sint verba Christi Matth. cap. XXVI. *Accipite, et comedite, hoc est Corpus meum* etc. Item Marci XIV. *Sumite, hoc est Corpus meum*: Lucae cap. XXII. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur* etc. et in prima ad Corinth. *Accipite, et co-*

medite: hoc est Corpus meum. Sed ista litteralis interpretatio, ex qua habemus realem Christi praesentiam in Eucharistia, quam Lutherani fatentur, stare non potest sine transubstantiatione, sive vera, et tota conversione panis, et vini in Corpus, et Sanguinem Christi. Ergo etc. *Prob. min.* Pronomen *hoc*, quo utitur Christus, indicat rem praesentem, quam Apostolis porrigebat: Sed porrexit suum Corpus, uti non dissentiunt Lutherani. Ergo ibi non erat, nisi sola species, sive apparentia panis, cujus substantia jam conversa fuerat in Christi Corpus. Et te sane vera si panis non immutatus fuisset, utique falsa fuisset Christi propositio, quoniam pronomen *hoc* referretur ad panem, qui propterea esset verus panis simul, et non esset: esset in sententia Lutheranorum; non esset autem quia de illo asseritur, quod sit Christi Corpus, id quod repugnat. Ergo cum Christus dixerit, *hoc est Corpus meum*, et non potius, *cum hoc*, aut *sub hoc est Corpus meum*, ne falsam, aut saltem male expressam dicere velimus Christi propositionem, necesse est, ut confiteamur realem Christi praesentiam in Eucharistia per veram conversionem panis, et vini in Corpus, et Sanguinem illius.

203. Sed quod licet non expresse, ast legitime tamen deducimus ex Scripturis, plene confirmatur ex traditione, quae est altera fidei nostrae regula, et infallibilis interpres Scripturarum. Itaque sic ex traditione argumentamur. Quod Ecclesia constanter semper tenuit, aut oppositum damnavit, et Patres uniformiter docuerunt, id ex vera Divina, et Apostolica traditione derivari di-

cendum est; et eo vel magis, quod Christus suae Ecclesiae infallibilitatem adpromisit. Sed res ita se habet de dogmate transubstantiationis. Ergo etc. *Prob. min.* Et quidem quoad primam Partem I. In Conc. Rom. sub Nicolao II. an. 1060, et item in alio sub Gregorio VII. an. 1079. damnatus fuit oppositus error Berengarii, ut habemus ex altera hujus fidei confessione, quam coactus fuit edere, quae sic se habet: *Ego Berengarius corde credo, et ore confiteor, panem, et vinum, quae ponuntur in altari, per mysterium sacrae orationis, et verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram, et propriam, ac vivificatricem Carnem, et Sanguinem Jesu Christi Domini nostri.* II. in magno Concilio Lateranense an. 1215 cap. *Firmiter* hoc transubstantiationis dogma fuit definitum. III. Concilium Constantiense universale an. 1414 inter alios Wiclefi articulos damnavit primum, scilicet: *substantia panis materialis, et similiter substantia vini materialis remanet in Sacramento altaris*: Et etiam secundum: *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.* IV. Concilium Florentinum in instructione Armenorum ait: *Substantia panis in Corpus Christi, et substantia vini in Sanguinem convertuntur.* Tandem Concilium Trident. sess. XIII. cap. IV. mirifice hanc docet veritatem, et definit can. II. ut supra dictum est (§. 169.)

204. Quod ad Patres attinet utique licet asserere, quod unanimiter omnes in quovis saeculo hanc docuerunt veritatem, ut videre est apud Bellarminum lib. de Eucharistia cap. XX. Ex his paucos afferimus. Itaque

S. Cyprianus in epist. LIV. et serm. de coena Domini, ait: *Panis iste, quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi, factus est caro.* Cyrillus Jerosolym. catechesi IV. ait: *Aliquando aquam* (Christus) *mutavit in vinum . . . non erit dignus, cui credamus, quod vinum in Sanguinem transmutasset?* Ambrosius lib. IV. de Sacram. cap. IV. scribit: *Tu forte dicis, meus panis est usitatus; sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* August. serm. XXVIII. *de verbis Domini* ait: *Dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur; ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed Corpus appellatur.* Gregorius Magnus Hom. XIV. in Evang. ita loquitur de Christo: *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Fecit quod monuit . . . ut in Sacramento nostro Corpus suum, et Sanguinem verteret, et oves, quas redimeret, carnis suae alimento satiaret.* Tandem, ut caeteros omittamus, Damascenus lib. IV. *de fide*, cap. XIV. ait: *Panis, vinumque, et aqua post invocationem, et adventum Spiritus Sancti supernaturaliter transmutatur in Corpus, et Sanguinem Christi, et non sane duo, sed unum, et idem* etc. Concludendum igitur etc.

Solvuntur objectiones.

205. Quae objici solent à Lutheranis ad haec reduci possunt. I. Tam Matth. cap. XXVI., quam Marci cap. XIV., peracto Sacramento Eucharistiae per Christi benedictionem; *Accepit Jesus panem*, *et benedixit*, additur, *ac fregit.* Sed quomodo vera dictio isthaec si non amplius ibi fuisset substantia panis? Nunquid tunc Christus suum corpus fregit? Ergo prorsus rejiciendum est vocabulum *transubstantiationis*, et potius adhibendum est illud *impanationis*, ut designetur unio realis Corporis Christi cum substantia panis, cui convenit frangi, sicut convenit humanitati hypostatice a Divino Verbo assumptae mori, et pati. II. Et eo vel magis rejiciendum est vocabulum illud, et hoc retinendum, quia sic Patres passim docuerunt, praesertim Joan. Chrysostomus in Epist. ad Caesarium, Theodoretus in Dialogo secundo contra Eutychianos, ubi ex exemplo Eucharistiae contendebat, in Incarnatione humanam naturam conversam fuisse in Divinam, ait enim: *Retibus, quae ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola mystica post significationem recedunt a sua natura. Manent enim in priori substantia, et figura, et forma, et videri, tangique possunt: sicut prius.* Et quidem III. inauditum prorsus fuit hoc vocabulum multis Ecclesiae saeculis, et improprie usurpatum fuit in Conc. Lateranense IV. Tandem. Innumera sequerentur absurda, si non amplius in Eucharistia essent substantiae panis, et vini. Etenim primo ipsae in nihilum

abirent , quod nimis durum videtur , et praesertim quia ex tot centenis millibus , et millibus factis consecrationibus , et pluribus faciendis in posterum , valde minui deberet totius terrae massa. Sed quis haec serio dicere audebit ? Secundo. Non pani , et vino , sed Christi Corpori , et Sanguini tribui deberent effectus , quos in Eucharistia experimur , uti praesertim rosio , corruptio, non digeri , ebriare , etc. Ergo etc.

℟. Et quidem quod ad primum spectat , non semel dictum est , quod in Eucharistia ex virtute divina , etsi cessaverint substantiae panis , et vini , persistunt tamen illarum species , sive physici effectus in nostris organis sensoriis , et inde eaedem ideae a nobis concipiuntur : et quamvis ibi realiter sit Corpus , et Sanguis Christi, ex ista tamen praesentia non producuntur in nostro cerebro , juxta physicas leges , respondentes mutationes. Id autem ex virtute Divina fieri posse , jam demonstratum fuit in prop. XII. §. 177 et seq. , ea certe de causa , quia physicae leges sunt in plena Dei potestate. Quod autem revera Christus homo simul , et Deus id facere voluerit similiter demonstratum , et vindicatum fuit in praecedenti prop. XIII. §. 188. Ad quid ergo objectio , quod verbum *fregit* convenit substantiae panis , et nullimode Christi Corpori ?

Ad alterum. Utique concedimus , quod Patres passim vocant Eucharistiam panem ; ast locutio isthaec , ut clare patet et illorum contestibus , accipienda est non de reali existentia panis post consecrationem , sed de eo , quod apparet , et quod erat prius. Hujusmodi loquendi morem Patrum non solum , sed etiam Scripturarum a-

gnovit etiam Leibnitius Lutheranus, qui in Systemate Theologico ait: *Saepe superstitibus speciebus nomen panis, et vini attributum est, cum sensu non distinguantur. Sic Ambrosius dixit, ita efficacem esse sermonem Domini, ut sint quae erant, substantia conversa est; nam post consecrationem nihil aliud, quam Carnem, et Sanguinem credendum esse, et Gelatius Pontifex Romanus innuit, panem transire in Corpus Christi, manente natura panis, hoc est qualitatibus ejus, sive accidentibus; neque enim tunc ad metaphysicas notiones formulae exigebantur: quo sensu et Theodoretus dixit, in hac conversione, mystica symbola propria natura non exui.* Caeterum plures critici, praesertim Maffejus, dicunt, suppositiam esse epistolam, quae dicitur data a Chrysostomo ad Caesarium, et Lutherani ipsi fatentur, Theodoretum sibi adversari, et periculose legi: *De coena* (sic cent. V. cap. X. edit. Basil. an. 1567.) *periculose dicit* (Theodoretus) *symbola Corporis, et Sanguinis Domini post invocationem Sacerdotis mutari, et alia fieri.*

Ad tertium. Ex probationibus lucuientissime patet, quod Ecclesiae doctrina semper fuerit de vera conversione panis, et vini in Corpus, et Sanguinem Christi. Sed transubstantiatio idem est, ac vera conversio: ergo vanum est conqueri de novitate hujus vocabuli. Sed ad quid invectum? Ut melius, et pressius detegeretur et damnaretur error Heterodoxorum. Sed nunquid illorum vox *impanatio* antiqua est? De novo certe excogitata est et quoad sonum, et quoad significationem.

Tandem, pudet respondere ad absurda, quae sequi dicuntur, si in Eucharistia non amplius panis, et vinum, sed tantum Christi Corpus, et Sanguis reperiretur. Quippe si, suspensis physicis legibus, persistunt species panis, et vini, sive effectus illarum substantiarum, quin substantiae ipsae existant, et nullus habetur physicus effectus Christi Corporis, et Sanguinis, quis non videt, quod inconvenientia in objectione adducta non cadunt in Christi Corpus, et Sanguinem, sed in solas panis, et vini species? Quoad vero terrae imminutionem, quae sequeretur ex tot factis, et faciendis transubstantiationibus, deponant Protestantes suum timorem; Deus enim, qui ad tegendum arcanum realis Christi praesentiae sub Eucharisticis accidentibus, simulque ad nostram fidem, atque humilitatem exercendam, tot, tantaque mirabilia in Sacramento Eucharistico quotidie operatur, novit etiam profectò efficere, ne quid detrimenti patiatur rerum corporearum systema ex panis, et vini transubstantiatione in corpus et sanguinem Jesu Christi. Caeterum Ecclesia Catholica nusquam definivit, sortem illarum substantiarum, utrum scilicet in nihilum redeant, an vero illa corpora in sua principia resolvantur, et sic in nova composita ingrediantur. Haec quaestio agitatur in scholis, quam nos nequidem attingere volumus.

DISPUTATIO III.

Num sub utraque specie panis, et vini, et etiam specierum partibus, et quandiu sit totus Christus.

206. Ex duabus superius essentialibus, et jam vindicatis veritatibus circa augustissimum Eucharistiae Sacramentum, scilicet quod in illo vere, et realiter continetur Christi Corpus simul cum Sanguine, Anima, et Divinitate; et quod id evenit per veram transubstantiationem, Catholici veluti pro corollario tertium deducunt dogma, scilicet, quod sub utraque specie, et sub singulis specierum partibus, facta separatione, totus Christus continetur. Et quia id fit per veram transubstantiationem; idcirco propugnant quoque, Eucharistiam esse Sacramentum permanens: id est Christi Corpus, et Sanguinem, cum Anima, et Divinitate non solum ibi esse dum sumitur; sed etiam ante, et quandiu species conservantur. Id non solum derident Sectatores Berengarii, Zwinglius, Carlostadius, Oecolombadius; Bucerus, Calvinus, et Sociniani cum Rationalistis, ut qui non agnoscentes realem Christi praesentiam in Eucharistia necessario deridere debent hoc Catholicorum dogma; sed negant quoque Lutherani, ut qui propugnant necessitatem in omnibus sumendi Eucharistiam sub utraque specie, nec illam servandum esse, quoniam nonnisi in sumptione habetur realis Christi praesentia. Ergo contra Lutheranos proprie egit Concilium Tridentinum sess. XIII., in qua tertio, et quarto canone u-

trumque dogma definivit, quae nos separatim pro viribus defendimus. Sit itaque

PROPOSITIO XV.

In Sacramento Eucharistiae sub utraque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totus Christus continetur.

207. Tota haec propositio de fide est, quoniam ad verbum definita fuit a Conc. Trident. sess. XIII. (§. 169). Ipsa autem sic breviter demonstratur. Ex praecedenti prop. XIV. (§. 202). tota substantia panis, et vini convertitur in Corpus, et Sanguinem Christi. Sed cum humano corpore, et quidem vivo, necessario subintelligitur Sanguis, et sub Sanguine Corpus, et cum vero Christi Corpore concomitantur anima, et etiam Divinitas. Ergo etc.

208. II. Et id satis innuunt Christi verba: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Ecquis hic non videt, quod per pronomen personale *me* intelligendus est totus Christus prout constat corpore, sanguine, anima, et Persona Divini Verbi? Sed adhibetur verbum *manducat*, quod pertinet ad solum Corpus. Ergo cum Christi Corpore est totus Christus. Quod autem idipsum dicendum sit de Sanguine, patet ex quo eadem veritas a Christo ipso asseritur tam in participatione Corporis, quam in participatione Sanguinis. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* (Joan. cap. VI. v. 54.) *e biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam tni*

vobis. Qui manducat meam Carnem , et bibit meum Sanguinem , habet vitam aeternam.

209. *Prob.* ex Divina Apostolica traditione. Quod ab initio in Ecclesia passim fieri consuevit , et Patres docuerunt , nonnisi ex Divina traditione derivari dicendum est. Sed res ita se habet de reali Christi praesentia sub alterutraque specie. Ergo etc. *Prob. min.* Et quidem primo id obtinuisse a tempore usque Apostolorum satis apparet ex cap. II. Act. Apost. v. 42. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum , et communicatione fractionis panis.* II. Apostolus in prima ad Corinth. cap. XI. v. 27. scribit : *Quicumque manducaverit panem hunc , vel biberit calicem Domini indigne* etc. : ut quid particula disjunctiva *vel* , et non potius conjunctiva *et* si totus Christus non esset sub alterutraque specie ? III. Nullus negare audebit , praesertim referente Eusebio in lib. VI. Histor. cap. XLIV. , a primis usque Ecclesiae saeculis consuetudinem fuisse deferendi ad infirmos Eucharistiam sub una tantum specie. IV. Habemus ex Cypriano in lib. *de lapsis* , quod infantes statim post acceptum Baptismum communicabant sub sola specie vini (Juven. dissert. IV.) V. Idem Cyprianus ibidem , et Tertullianus lib. II. ad uxorem testantur , per multa saecula tam in Occidente, quam in Oriente obtinuisse communionem domesticam sub sola specie panis. Tandem , hanc fuisse antiquam Ecclesiae consuetudinem communicandi sub sola specie panis constat ex decretis Leonis Magni , et Gelasii , qui jusserunt recipi communionem sub utraque specie , ut sic detegerent , et repellerent errorem Manichaeorum ,

qui a sumptione calicis abhorrebant, propterea quod dicebant, vinum esse a Principio malo.

210. Quod si haec fuit Ecclesiae praxis, nemo certe in dubium revocabit, quin haec eadem fuerit communis doctrina Patrum. Sic quippe docuit S. Ignatius Martyr in Epist. ad Smyrnenses, sic S. Ephrem in lib. *de non scrutanda Natura Divina* cap. V., sic Hieronymus contra Jovinianum, sic S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi IV., sic Chrysostomus in lib. III. *de Sacerdotio*, et sic S. Augustinus Enarr. in Psal. XXXI. Concludendum igitur etc.

211. *Prob.* altera pars hoc brevi ratiocinio. Christus prius benedixit, sive consecravit panem, et calicem, et postea fregit, divisit, et distribuit Discipulis, et sic pariter faciunt omnes Ministri, scilicet totam consecrant materiam panis, et vini, et etiam *latriae* cultu adorant, et postea distribuunt Fidelibus. Ergo sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totus Christus continetur, secus enim nullus ex fidelibus vere communicaret.

Solvuntur nonnullae difficultates.

212. Sacramenta sunt ex genere signorum. Ergo sub quovis distincto signo, distincta quoque esse debet res signata. Et propterea sub panis specie est solum Christi Caro, et Sanguis tantum est sub specie vini. II. Et id clarissime ostendit Redemptor ipse, quoniam de pane dixit: *Hoc est Corpus meum*, et de vino: *Hic est enim Sanguis meus* etc. Matth. cap. XXVI.

III. Et merito quidem. Etenim si totus Christus esset sub unaquaque specie, ipse frustra egisset per plura, quae fieri potuissent per pauciora, id quod non licet cogitare de Homine Deo. Tandem. Christus Matth. cap. XXVI. v. 27. omnibus praecepit potum Sanguinis, ut quid distinctum ab esu Carnis, *Bibite ex hoc omnes*. Sed ad quid hoc distinctum generale praeceptum si sub unaquaque specie esset ipse totus?

℟. Catholicorum doctrina est, Eucharistiam unum, non vero duplex esse Sacramentum, in quo totus Christus continetur et ut homo, et ut Deus. Et quoniam ut homo constat anima, et corpore humano, et corpus humanum vivens, ut erat Christi Corpus cum hoc Sacramentum instituit, et nunc quoque est, constat carne, et Sanguine, idcirco per necessariam concomitantiam cum corpore erat simul Sanguis, et cum Sanguine erat, et est caro, et cum utroque anima humana, et Persona Divini Verbi, et ratione *Circumsessionis*, ut suo loco dictum est, etiam Pater, et Spiritus Sanctus. Et quoniam Sacramentum istud, praeter infinitum sui amorem erga nos, Christus instituit in memoriam suae Passionis, *Hoc facite in meam commemorationem*. Lucae cap. XXIII. v. 19, scilicet in memoriam lacerationis suae Carnis, et effusionis sui Sanguinis, idcirco sub duplici distincto symbolo, voluit instituere Itaque consecrationis verba accipienda sunt de Christi Corpore, et Sanguine, prout Christus erat, et nunc est vivens. Et adeo quidem id verum est apud Ecclesiam Catholicam, ut nostri Theologi ex inde inferunt, quod si Apostoli consecrassent in triduo mortis Christi,

seorsim sub qualibet specie fuisset Christi Corpus, et Sanguis, utrumque tamen hypostatice conjunctum cum Divinitate (Joan. Perr. de Euch. cap. III. §. 161.). Et haec sufficiunt pro solutione omnium difficultatum, quae fuerunt expositae; si tamen ad ultimam addatur, quod praeceptum Domini, ut omnes sumerent calicem, factum fuit solis Apostolis tunc praesentibus, non vero omnibus futuris fidelibus, secus enim ad omnes quoque fideles spectaret Eucharistiam conficere, et distribuere ex ejusdem Christi praecepto (ibidem) *Hoc facite* etc. (Juven. dissert. IV. de Euch.).

PROPOSITIO XVI.

Peracta Consecratione, in Eucharistia non solum in usu, scilicet dum sumitur, sed etiam ante, et post in hostiis, seu particulis consecratis, quae supersunt, et servantur, est Corpus et Sanguis Jesu Christi Domini nostri.

213. Haec propositio, quae de fide tenenda est in omnibus suis partibus, ut a Conc. Trident. sess. XIII. can. IV. definitum fuit, (§. 169), quoad primam partem clare ipsa evincitur ex Christi verbis; cum hoc Sacramentum instituit, scilicet: *Hoc est Corpus meum* etc. *Hic est enim Sanguis meus* etc. Procul dubio cum, facta benedictione, haec verba protulit, statim panis, et vinum conversum fuit in Corpus, et Sanguinem ipsius. Ergo antequam Apostoli sumerent, quod Christus in manibus tenebat, erat suum Corpus, et Sanguis: et propterea, peracta consecratione, in Eu-

charistia non solum in usu dum sumitur, sed etiam ante, est Corpus, et Sanguis Christi.

214. Altera autem pars invicte probatur ex antiquissima, et semper constanti Ecclesiae praxi servandi, et adorandi *latriae* cultu Eucharistiam, id quod fieri non potuit sine vera Divina traditione. Et quidem in libro VIII. cap. XIII. Constit. Apost. fit mentio *Pastophorii*, in quo asservabatur Eucharistia. Sanctus Justinus Apol. I. n. 67. commemorat, Eucharistiam per Diaconos fuisse ad absentes delatam. Sed ad quid incomodum istud, si fides non fuisset, in illa vere esse Corpus, et Sanguinem Christi? Item ex historia Serapionis constat, Eucharistiam ipsam servari consuevisse pro infirmis. Ergo eadem tunc erat fides. Tandem, usum *latriae* cultum Eucharistiae tribuendi, illamque in processionibus solemniter circumgestandi, et publicae adorationi exponendi, habemus ex citato can. VI. sess. XIII. Conc. Tridentini.

Unica solvitur difficultas.

215. Ex Christi institutione, et antiquo Ecclesiae usu, unde habetur Divina traditio, potius evincitur, Christi Corpus, et Sanguinem esse in Eucharistia solum cum sumitur, quam ut remaneat in particulis, quae servantur. Ergo abusive Tridentinum Concilium contrarium declaravit, et definivit. *Prob.* Verba Christi: *Accipite*, *et manducate* etc. *Sumite* etc. procul dubio indicant praeceptum tunc totum manducandi, et sumendi, non vero pro futura tempore servandi: et ex

Concilio Mutisconense II. celebrato in Galliis an. 585. scimus, septem prioribus saeculis morem fuisse in Ecclesia comburere particulas ex Sacrificio superstites, aut pueris, et Clericis jejunis sumendas tradere. Ergo etc.

℟. Et quidem quoad Christi praeceptum tunc edendi, et bibendi, etsi detur fuisse verum praeceptum, et non potius modum invitandi, et offerendi, et etiam ut ederent, et biberent totum, id quod non expresse dicitur, tamen dicimus, quod ita tunc ferebant temporis circumstantiae, et nulla causa tunc erat aliquid servandi, sine certo periculo profanationi. Ad usum vero Ecclesiae in prioribus saeculis, comburendi scilicet superstites particulas, aut distribuendi pueris, et Clericis jejunis ut sumerent, respondemus, quod plures fuerunt causae, cur, non jam in omnibus, sed in aliquibus dumtaxat Ecclesiis, hujusmodi invaluit usus, ex quibus princeps fuit, ne Eucharistia profanationi impiorum exponeretur, quoniam tempus erat persecutionis. Caeterum in citato Matisconensi Concilio non praescriptum fuit, ut in quavis die, et post quodvis Sacrificium, reliquiae superstites a pueris, vel jejunis Clericis sumerentur, sed tantum in quarta, aut sexta feria. Ergo in reliquis diebus reliquae particulae servabantur. Et propterea nihil inde deduci potest contra nostram Catholicam thesim.

DISPUTATIO IV.

De cultu, quo Christus in Eucharistia adorandus est.

216. Ex demonstrata reali Christi praesentia, et quidem per veram transubstantiationem, nec non ejusdem permanentia in Sacramento Eucharistiae, veluti pro legitimo corollario inde sequitur, ut cultu sui proprio, *latriae* scilicet, ibi sit adorandus. Sed quoniam de cultu isto peculiarem canonem edidit Concilium Tridentinum sess. XIII., qui est VI. (§. 166); idcirco sequens de fide a nobis additur.

PROPOSITIO XVII.

Christus in Eucharistiae Sacramento cultu latriae, et etiam exteriori, adorandus est.

217. Hoc fidei dogma luculentissime patet ex universali traditione. Etenim si semper Ecclesiae fides fuit, Christum esse verum Deum, et verum hominem, et idcirco cultu *latriae* esse adorandum: et item, si, ut in superioribus propositionibus demonstratum est ex Scriptura, et traditione, Christus totus, per veram conversionem panis, et vini in suum corpus, et Sanguinem, praesens, et permanens est in Eucharistia, nemo certe dubitare poterit, quin, non solum ex vera, et legitima theologica ratione, sed ex traditione hanc veritatem Ecclesia receperit. Et hoc videtur confiteri

Clussen Protestans apud Esslinger in Op. *Apologie de la religion catholique*, dicens, hanc adorationem esse consequentiam logicam dogmatis de reali Christi praesentia etc. Et Lutherus ipse, qui sub finem suae vitae appellavit Eucharistiam *Sacramentum adorabile.*

218. Sed nihilominus confirmatur ex doctrina Ss. Patrum. Itaque Cyrillus Hierosolymitanus in Catech. V. n. 22. dicit, quod proni, et in modum adorationis suscipere debemus Eucharistiae Sacramentum. Theodoretus dial. II. de Eucharistia ipsa inquit: *Symbola mystica et creduntur, et adorantur.* S. Ambrosius in lib. III. *de Spiritu Sancto* ad verba Psal. XCVIII. *Adorate scabellum* etc, ait: *Per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt.* Chrysostomus Hom. LXXXIV. in Matth., et alibi scribit, Deum in Sacrificio Missae non solum adorari ab hominibus, sed etiam ab Angelis. Et sic ceteri, praesertim Augustinus qui dicit, neminem Christi carnem manducare, nisi prius adoraverit.

219. Et inde patet quam merito Patres Conc. Trident. sess. XIII. cap. V. de hoc cultu, et etiam externo, dixerint: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur; quin omnes Christi fideles, pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriae cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione adhibeant . . . Nam illum eumdem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem Pater Aeternus introducens in orbem terrarum, dicit:*

Et adorent eum omnes Angeli Dei . . . . Declarat praeterea Sancta Synodus, pie, et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam, et festo die praecelsum hoc, et venerabile Sacramentum singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur, atque in processionibus reverenter, et honorifice illud per vias, et loca publica circumferretur.

Solvuntur objectiones.

220. Quae multa a Lutheranis, et maxime a Calvinistis objici solent, ad haec reducuntur. I. Juxta doctrinam Romanensium Theologorum, duplex est regula nostrae fidei, Scriptura scilicet, et Divina Apostolica traditio. Sed nullibi neque in Evangelio, neque in aliis novi Foederis libris, praesertim Pauli Epistolis, praeceptum aliquod invenimus adorandi, et quidem *latriae* cultu Eucharistiam: Et Patres, ex quorum uniformi doctrina fas est agnoscere, et detegere Divinam traditionem, aut silent, aut non clare loquuntur; aut etiam oppositum docent, ut fecerunt illi, qui ut idololatras traducebant Arianos propterea quod cultu *latriae* prosequebantur Eucharistiam, ut prae caeteris fuit Athanasius lib. I. contra Arianos. Ergo etc. II. Ideo Ecclesia Catholica propugnat *latriae* cultum erga Eucharistiam, quia ibi realiter est praesens Christus, qui est verus Deus. Sed haec ratio nulla est, quia secus quaevis creata res similiter coli deberet, quia ubique praesens est Deus. III. Omni lege et Divina naturali, et Divina positiva

jubemur vitare idolatriam, et illius periculum. Sed in adoratione Eucharistiae periculum est in hoc piaculum incidere. Etenim primo facile est, ut populus ignarus *latriae* cultu prosequatur species panis, et vini. Secundo; quia certi non sumus de vera peracta consecratione ob defectum sive intentionis, aut potestatis Ministri, sive formae, aut materiae. Ergo etc.

℟. Et quidem ad primam difficultatem dicimus, quod licet nec in Evangelio, nec in aliis novae legis libris expresse, et directe inveniatur praeceptum adorandi Eucharistiam, illud tamen luculentissime habemus ex legitimis, et proximis consequentiis. Etenim nonne ex Scripturis, ut suo loco demonstratum, et vindicatum est, expresse habemus, Christum esse verum Deum, et Filium consubstantialem Dei Patris? Sed ex lege Divina tam naturali, quam positiva stricte tenemur omni religione colere, venerari, et adorare Deum: *Dominum Deum tuum adorabis*. (Matth. cap. IV. v. 10). Ergo etc.

Quod vero ad II. pertinet; Doctrina Patrum pro cultu *latriae* erga Sanctissimam Eucharistiam patet ex probationibus (§. sup.). Quod si nonnulli aliter videntur fuisse locuti adversus Arianos, id fecerunt solo consilio retorquendi contra Haereticos illorum ipsa argumenta, quoniam, dum dicebant, Christum esse creaturam, adorabant tamen Eucharistiam. Unde Ambrosius lib. I. *de fide* cap. VII. sic illos urgebat: *Aut desinant colere quem creaturam appellant, aut desinant, quem colere se simulant, dicere creaturam.*

Ad III., negamus paritatem: nam in Eucharistia Di-

vinum Verbum est hypostatice conjunctum cum humanitate, et ubique in aliis rebus est solum essentialiter praesens. Quod si dicatur, ubicumque sunt res, ibi non res ipsas, sed Deum, qui ubique est, cultu *latriae* esse adorandum, id utique concedimus.

Ad IV. Deponant Protestantes suum timorem de idolatria, quia quisque de populo intendat adorare Jesum Christum, et id adeo verum est, ut Eucharistia communiter appelletur Jesus Christus. Quod si fieri potest, ut consecratio non realiter fiat sive ex defectu potestatis, aut intentionis Ministri, sive ex defectu materiae, aut formae, tunc ex parte astantium idolatria erit tantum materialis, non vero formalis, et propterea ad peccatum non imputabitur populo, sed ad meritum, tum quia semper in adoratione subintelligitur conditio, si vere ibi Christus sit praesens, tum quia fit ex ignorantia prorsus invincibili.

DISPUTATIO V.

De modo, quo Eucharistia dispensanda est; num scilicet sub utraque specie omnibus, an vero sufficiat, ut id sub una tantum fiat.

221. De modo sumendi Eucharistiam varius fuit in Ecclesia usus. Etenim sicut certum est, illam, saltem in publicis coetibus in Ecclesia Latina, administratam fuisse sub utraque specie usque ad saeculum XII., et adhuc administrari in Ecclesia Graeca; ita pariter nemo in dubium revocabit, quin in aliquibus circumstan-

tiis fuerit ministrata sub una specie alterutra. Et quidem sub sola specie vini administratam fuisse infantibus habemus primo ex S. Cypriano serm. *de lapsis*, ubi haec narrat de quadam infantula, quam nutrix contaminaverat infundendo illius ori de idolothytis panem vino mixtum: *Solemnibus adimpletis, calicem Diaconus offerre praesentibus coepit, et accipientibus caeteris, locus ejus advenit: faciem suam parvula instinctu Divinae Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere. Perstitit tamen Diaconus, et reluctanti licet, de Sacramento calicis infundit: tunc sequitur singultus, et vomitus, in corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit.* Ergo tunc temporis Eucharistia parvulis administrabatur sub sola vini specie. Nec suspicari fas est fuisse illi puellae ministratam sub specie panis intincti in specie vini, primo, quia illa non evomuit panis speciem: II., quia mixtio isthaec apud Latinos prorsus fuit ignota ante septimum saeculum. Item Hugo Victorinus enarrans saeculi XII. disciplinam, ait, Eucharistiam ministrandam esse infantibus sub specie vini digito Sacerdotis, ut facile possent sugere. Et Paschalis II. in Epist. ad Pontium Cluniacensem Abbatem an. 1118 praecepit, ut Eucharistiam ministraret in solo Sanguine tam parvulis, quam infirmis, qui panis speciem deglutire non possent. Quoad vero solam speciem panis, ut omittamus factum Serapionis, quod probavit Dionysius Alexan. III. saeculo, quod scilicet in hac sola specie Eucharistiam accepit, id plene evincit usus antiquus servandi, et deferendi Eucharistiam ad infirmos sub sola specie panis,

licet non desint quoque exempla deferendi sub utraque specie, quoniam S. Hieronymus in Epist. ad Rusticum laudat S. Exuperium Episc. Toles., qui in canistro deferebat pauperibus Corpus Christi, et in vase vitreo Sanguinem. Idipsum evincunt Missae praesanctificatorum, in quibus scilicet Eucharistia sumitur sub sola specie panis, et in altera die consecrati, ut in feria sexta majoris hebdomadae apud Latinos, et apud Graecos in tota Quadragesima, exceptis diebus Dominicae, et Sabbati, nec non Annunciationis, ut habemus ex cap. LII. Synodi Trullanae an. 692.

222. Verum quidem, quod S. Leo in sermone IV. de Quadrag. monuit populum, ut observarent qui Eucharistiam sumerent sub sola specie panis, et forsan, si fidem habere velimus Gratiano, Gelasius Leonis successor praecepit quoque ut a sacra mensa arcerentur, qui nollent sub utraque specie communicare. Ast id factum est ad detegendos Manichaeos, qui abhorrebant a specie vini, propterea quod illud esse dicebant a Deo malo. Caeterum id mirifice confirmat nostram doctrinam, quoniam evincit, tunc fuisse consuetudinem communicandi sub una tantum, aut sub utraque specie.

223. Quod autem certum est apud omnes, a saeculo usque XII. apud Latinos sensim invaluit usus ministrandi Eucharistiam sub sola specie panis. Contra usum istum primo in Boemia Saeculo XIV. insurrexerunt Petrus Dresdensis Ludimagister, et Jacobellus Missinensis, qui propterea dicti fuerunt *Calixisti*, qui horribiles saevitias exercuerunt contra Sacerdotes Catholicos, qui eis negabant Calicem: Et illorum sectator fuit Joannes

Hus. Hunc nascentem errorem damnavit Concilium Constantiense generale an. 1415 sess. XV., et pro lege statuit consuetudinem legitime introductam ut populus communicaret sub sola specie panis, quoniam sub qualibet specie totus Christus continetur. Et hoc ipsum paulo post, scilicet an. 1435 confirmavit Concilium Basiliense sess. XXX.; etsi ratione servandae unionis, Concilium istud permiserit Boemis communicandi sub utraque specie. Lutherus deinde, licet prius varius fuerit, tandem in lib. *de Captiv. Babyl.* impium, et tyrannicum esse dixit privari laicos utraque specie. Et Luthero astipulatus est Calvinus, qui lib. IV. Instit. cap. XVII. §. 4. scribit: *Ex eadem* (Diaboli) *prodit officina et altera constitutio, quae dimidiam coenae partem meliori populi Dei numero vel furata est, vel eripuit: nempe symbolum Sanguinis . . . Edictum Dei est, ut omnes bibant.*

224. Ex dictis itaque patet, quod duplex esse potest quaestio circa modum recipiendi Eucharistiam. Prima: num ex praecepto Domini, vel ex natura, et essentia Sacramenti, et propterea necessitate salutis, Eucharistia sub utraque specie ab omnibus recipienda sit. II, num ab Ecclesia sub utraque specie, sicut concedi, ita et negari possit populo. Nulli dubium, quod prior ad fidem pertinet, quoniam Concilium Tridentinum sess. XXI. can. I. expresse negavit hoc Domini praeceptum, et salutis necessitatem, ut ab omnibus Eucharistia sub utraque specie sumatur: *Si quis dixerit, ex Dei praecepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem*

Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti sumere debere anathema sit. Altera, licet ad disciplinam pertinet, quia tamen ex eodem Concilio disciplina isthaec sub Ecclesiae est potestate, ipsa quoque ad fidem pertinet. Et quidem primo in eadem sess. XXI. cap. II. Conc. ita rem declarat: *Praeterea declarat* (Synodus), *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro ritum, temporum, et locorum, varietate, magis expedire judicaret, id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei ... Quare agnoscens Sancta Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianae religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset; tamen progressu temporis latissime jam mutata illa consuetudine gravibus, et justis causis adducta, hanc consuetudinem altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiae auctoritate pro libito mutare non licet.*

II. Et de facto in eadem sess. can. II. de fide definivit, Ecclesiam: justis de causis hac potestate usam fuisse,, cum praecepit ut sub una tantum panis specie communicarent: *Si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis de causis, et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam Clericos non*

conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse; anathema sit. Ergo licet disciplinaris sit quaestio, utrum scilicet sub una tantum, aut sub unaquaque specie magis expediat omnibus ministrari Eucharistiam; tamen de fide est, sub potestate Ecclesiae esse, id juxta varias circumstantias vel vetare, vel concedere. Et id clarius S. Synodus declaravit in decreto in fine sess. XXII: *Insuper cum eadem sacrosancta Synodus superiori sessione duos articulos alias propositos, et tunc nondum discussos, videlicet: An rationes, quibus Sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes sub una panis specie, ita sint retinendae, ut nulla ratione Calicis usus cuiquam sit permittendus; et an si honestis, et christianae charitatis consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno Calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quaenam illae sint, in aliud tempus, oblata sibi occasione, examinandos, atque definiendos reservaverit; nunc eorum, pro quibus petitur, saluti optime consultum volens, decrevit, integrum negotium ad Sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, prout praesenti decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicae Christianae, et salutare petentibus usum Calicis fore judicaverit.* His praenotatis, sit

PROPOSITIO XVIII.

Neque ex Dei praecepto, neque ex necessitate salutis, omnes, et singuli Christi fideles Eucharistiam sumere debent sub utraque specie panis, et vini.

225. Haec propositio, quae ad verbum definita fuit a Concilio Tridentino sess. XXI. can. 1.: *Si quis dixerit, ex Dei praecepto, vel necessitate salutis, omnes, et singulos Christifideles utramque speciem sanctissimae Eucharistiae Sacramenti sumere debere; anathema sit*, quia, inquam, negative se habet, ita et negative demonstratur. Itaque vera ipsa est, si neque ex Scripturis, neque ex natura hujus Sacramenti, neque ex traditione, neque ratione theologia oppositum possit evinci. Sed res ita se habet. Ergo etc. *Prob. min.* quoad singulas partes. Et quidem ex Scripturis nullum Christi praeceptum apparet, ut sub utraque specie Eucharistia sumatur, etsi sub duplici specie ipse instituerit. Neque rem evincunt ipsius Christi verba Joan cap. VI. v. 54.: *Amen amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: primo, quia, ut supra (§ 207) demonstratum est, sub quavis specie est totus Christus; et propterea in Carne habetur Sanguis, et in Sanguine habetur Caro. II. quia prius ibidem v. 52 hoc ipsum dicit de solo pane symbolo carnis: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et v. 58: *Qui manducat*

me, et ipse vivet propter me. III. Et id apparet ex particula disjunctiva *vel*, qua utitur Apostolus Paulus in 1 ad Corinth. cap. XI. v 27: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne* etc. Ergo nullum praeceptum fecit Christus sumendae Eucharistiae ab omnibus, et singulis sub utraque specie.

226. Quinimo potius oppositum videtur evinci ex Scripturis. Etenim Lucae cap. XXIV. v. 35 habemus, quod Discipuli *cognoverunt eum* (Christum) *in fractione panis*. Quippe vel isthaec fractio panis fuit ipsa Eucharistia, vel saltem, ut dicit Augustinus lib. III. *de consensu Evangelist.* cap. XXV; fuit Eucharistiae symbolum. Si illud: Ergo Christus sub una tantum panis specie Eucharistiam ministravit. Si hoc: Ergo Christus ipse docuit, quod nullum dederat praeceptum, ut omnes, et semper sub utraque specie communicarent. Et id confirmatur Actor. cap. II. v. 42: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis.* Hunc locum intelligendum esse de communicatione Eucharistiae, non vero simplicis panis, fatetur ipse Calvinus in lib. *Institut.* cap. XXVII. Sed ibi mentio fit de sola specie panis. Ergo, ipsis praesentibus Apostolis, fideles sub sola specie panis receperunt Eucharistiam. Ergo nullum erat contrarium Christi praeceptum.

227. *Prob.* II. min. pars, quod scilicet nulla apparet salutis necessitas, ut omnes, et singuli sub utraque specie communicent. Et quidem ex prop. XV. §. 207 in Sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie

totus Christns continetur. Ergo sive communicemus sub utraque specie, sive sub una tantum, idem semper, nec plus, nec minus recipimus: Et propterea nulla necessitas apparet salutis ex Sacramenti natura.

228. Prob. III. pars, nempe ex traditione. Nulla est tutior regula cognoscendi veram Divinam, et Apostolicam traditionem, quae est altera fidei regula, quam antiquus, et constans Ecclesiae usus. Sed antiquus, et constans Ecclesiae usus fuit ministrandi Eucharistiam et sub utraque, et sub una tantum specie. Ergo dicendum, quod nullum prorsus extat divinum praeceptum, ut sub utraque specie omnes communicent. Minoris veritas patet ex illis, quae §. 209 et seq. dicta sunt, praesertim de comunione infantium, et etiam domestica.

229. Tandem sic ratiocinamur. Christus Eucharistiae Sacramentum instituens saluti omnium voluit consulere. Ergo sic instituere voluit, ut omnes possent recipere. Sed sunt multi absthemii, qui non sine periculo communicare possunt sub specie vini, et infantes non possunt declutire speciem panis. Ergo dicendum, quod dederit praeceptum sub alterutra specie communicandi; et eo vel magis; quod idem effectus semper habetur, scilicet totum Christum accipiendi.

Solvuntur objectiones.

230. Christus Joannis cap. VI. v.34 de Eucharistia ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed verba ista expressum indicant praeceptum man-

ducandi, quod pertinet ad speciem panis, et bibendi, quod pertinet ad speciem vini. Ergo Christus in laudato loco praecepit, ut quisque sub utraque specie sumeret Eucharistiam. II Et quidem particula conjunctiva *et* duplex indicat distinctum praeceptum, scilicet manducandi, et bibendi, ideoque non valet ratio Romanensium, nempe quod sub unaquaque specie totus Christus continetur; alioquin particulam *vel*, non vero *et* Christus adhibuisset. III. Et hoc ipsum ratio suadet. Etenim, licet Eucharistia unum sit Sacramentum Christi passionem repraesentans, *Hoc facite in meam commemorationem* (1. ad Corinth. cap. XI. v. 24.) *Quotiescumque enim manducabitis panem, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis;* tamen quia ista caro lacerata est, et sanguis fuit effusus, idcirco sub duplici specie Christus illud voluit instituere. Ergo ex voluntate, sive praecepto Christi, ut symboli integritas habeatur, sub utraque specie Eucharistia ab omnibus sumenda est.

℟. Et quidem ad primam, et secundam difficultatem dicimus, quod particula *et*, quam adhibet Joannes in objecto loco non accipienda est pro vere conjunctiva, quasi duplex exprimat praeceptum, edendi scilicet, et bibendi, sed potius pro disjunctiva *vel* unum, et idem designante praeceptum sumendi Eucharistiam. Id sane patet ex praecedenti versiculo 52, ubi eadem promissio vitae aeternae fit manducantibus panem, sive Christi Carnem; quin exprimatur quoque potus Sanguinis: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et id firmissime confirmatur ab Apo-

st. Paulo in 1 ad Corinth. cap. XI. v. 27 ubi hoc ipsum Salvatoris praeceptum docens utitur particula *vel*, non vero et: ait enim: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne etc.* Ergo per Apostolum quis potest indigne vel manducare speciem panis, vel bibere speciem vini. Sed nunquid dicemus, quod Joanni contradicit Paulus? Ergo unum, et idem est praeceptum Domini, scilicet communicandi, cui plene fit satis alterutram speciem sumendo.

Quod ad ultimam difficultatem pertinet, utique concedimus, Christi voluntatem fuisse designandi suam passionem per Sacramentum Eucharistiae, et illud voluisse instituere sub duplici specie et panis, et vini, ut significaret lacerationem suae carnis, et effusionem Sanguinis. Sed quid inde? Utique certe inde sequitur, ut sub duplici specie hoc Sacramentum debeat confici, sicut revera conficitur, nec ullum contrarium exemplum adducere possunt Adversarii. Ast non item sequitur, ut sub duplici quoque specie ab omnibus sumi debeat. Et id I. quia nullum de hoc expressum Domini praeceptum habemus, ut demonstratum est. II. quia sub unaquaque specie totus Christus continetur, et propterea sub unaquaque etiam illum totum recipimus, et totam ejusdem commemoramus, et participamus Passionem. III. Quia sic habemus ex vera divina traditione, cujus est docere quae Scriptura silet, aut interpretari quae obscure in Scripturis continentur, quae traditio certissime apparet ex praxi Ecclesiae, quae infallibili Dei assistentia munita, a suis usque primordiis, juxta temporum, locorum, personarum, aliasque circumstantias

modo sub duplici, et modo sub alterutra specie Eucharistiam ministravit, et praecepit quoque ministrandam. Sic, exceptis infantibus, Ecclesia Romana usque ad XII. saeculum, et Ecclesia Graeca usque ad praesens, illam ministravit sub utraque specie, saltem in pubblicis conventibus; quinimo Gelasius Pontifex ad detegendos Manichaeos, qui abstinebant a sumptione Calicis, ex eo quod abhorrebant a vino, quod dicebant esse a principio malo, decrevit, ut omnes: *Aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur.* Cessavit circumstantia isthaec, et invaluit contraria consuetudo communicandi a non conficientibus sub sola specie panis, et justis de causis sic deinceps faciendum Ecclesia praecepit. Quis in hoc non videt traditionem, quod nullum sit Domini praeceptum, nulla necessitas, ut omnes sub utraque specie Eucharistiam recipiant? Quod si res ita se habet, dicendum, quod Eucharistiam sumendi modus sub una scilicet tantum, aut sub utraque specie a non conficientibus ad disciplinam potius, quam ad Sacramenti essentiam pertinet, et quod propterea sub potestate Ecclesiae est. Unde sit sequens pariter de fide.

PROPOSITIO XIX.

Non erravit Catholica Ecclesia, sed justis de causis, jussit, laicos, et etiam Clericos non conficientes Eucharistiam sub sola specie panis communicare.

231. Ex quo in superiori dogmatica Thesi contra Novatores demonstratum, et vindicatum est, nullum

extare divinum praeceptum, neque salutis necessitatem, ut omnes et singuli Christifideles Eucharistiam sumant sub utraque specie, inde per se fluit, ut utroque modo possit ministrari: ut ad disciplinam spectet modus iste: et propterea sub Ecclesiae sit potestate illum determinandi, prout juxta varias circumstantias melius expedire videbitur. Et ita quidem ab Ecclesia factum videmus. Etenim in Ecclesia Latina sub utraque, saltem in publicis coetibus, ministrata fuit usque ad XII. saeculum: quinimo, ut sic ministraretur; justis de causis, ut diximus, decrevit Gelasius Pontifex. Et contra, paullatim rejecta hac consuetudine, aliis de causis Concilium Tridentinum sess. XXI can. II. solemniter probavit Ecclesiae Catholicae consuetudinem, et legem, ut laici, et Clerici non conficientes sub sola specie panis comunicarent anathema pronuntians contra illos, qui in hoc Ecclesiam errasse dixerit. Ast tamen sess. XXII. ad caput XI. apposuit decretum, quo ad Summum Pontificem retulit totum negotium, usum scilicet calicis concedendi postulantibus, si id Christianae Reipublicae utile judicaverit (§. 224).

232. Verum lice tres ita se habeat, tamen nostra propositio non ad disciplinam, sed ad fidem pertinet, ut solemniter definivit Conc. Trident. in dicta sess. XXI. can. II. *Si quis dixerit, S. Ecclesiam Catholicam non justis de causis, et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicarent, aut in eo errasse; anathema sit.* Et ratio est: 1, quia Novatores injuriose, et pervicaciter resistentes ordinationi Ecclesiae pro ra-

tione adducunt, praeceptum Domini esse, et ad salutem necessarium, ut ab omnibus, et singulis Eucharistia sub utraque specie sumatur id quod, Concilium ipsum ibidem can. 1 damnat. II, quia sic Novatores inficiantur Ecclesiae potestatem circa dispensationem Sacramentorum, salva illorum substantia, ut idipsum Concilium ibidem cap. II. Dicit: *Praeterea* declarat (S. Synodus) *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substautia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate; magis expedire judicaret; id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait: sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei; atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat, cum in multis aliis; tum in hoc Sacramento* (Eucharistiae), *cum ordinatis nonnullis circa ejus usum, caetera, inquit, cum venero, disponam. Quare agnoscens Sancta Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianae Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset; tamen progressu temporis, latissime jam mutata illa consuetudine, gravibus, et justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiae auctoritate pro libito mutare non licet.*

Ex dictis ergo jam satis demonstrata remanet nostra

ptionem sustinentes necessariam ex divino praecepto, Ecclesiae negabant facultatem aut dispensandi, aut etiam vetandi.

Solvuntur objectiones.

234. Quae praesertim objiciuntur contra hanc catholicam propositionem sunt eadem, quae soluta sunt §. 230. Sed insuper Novatores sic argumentantur. Sacramenta sicut confici, ita etiam ministrari debent, prout Christus confecit, et ministravit. Sed Christus confecit, et ministravit sub duplici specie. Ergo sic pariter ministranda est.

℟. *Dist. maj.* Si sermo sit de modo essentiali, conc. secus, n. maj. Utique cum solus Christus verus Deus auctor sit Sacramentorum; nullam auctoritatem habet, Ecclesia immutandi, quae ad illorum essentiam pertinent. Ast ad essentiam Eucharistiae non pertinet, ut sub duplici specie sumatur, primo, quia sub alterutra specie totus Christus continetur (prop. XV. §. 107) et propterea nullo majori bono, sive spirituali fructu privantur, qui sub una tantum specie recipiunt: Secundo, quia nullum Dei praeceptum est, ut sumatur sub utraque specie (prop. XVIII. §. 225). Sed quae non pertinent ad Sacramentorum essentiam, sunt sub potestate Ecclesiae, ut demonstratum est §. 232. Ergo potuit Ecclesia, quinimo non erravit, cum jussit, non conficientes etc.

235. C. Atqui sumptio Eucharistiae sub utraque specie ad ejus essentiam pertinet. Ergo etc. Prob. Ad es-

sentiam Eucharistiae Sacramenti pertinet, ut sub duplici materia panis, et vini conficiatur. Ergo ad ejus quoque essentiam pertinet, ut sub eadem duplici specie sumatur, quia Sacramenta recipi debent eodem modo, quo conficiuntur.

℟. Negando paritatem. Magnum discrimen intercedit inter confectionem Eucharistiae, et sumptionem ejusdem. Quippe sive Eucharistia consideretur ut Sacramentum, sive ut Sacrificium, semper standum est voluntati Christi, qui illam instituit. Sed Christi voluntas, ut dictum est in probationibus, fuit ut conficeretur sub utraque specie, uti habemus ex vera traditione, quoniam nullum omnino exemplum habemus, ut sub una tantum specie confecta sit; et contra, ut habemus ex Apostolo cujus auctoritatem adducit Conc. Trident. sess. XXI. cap. II. (§. 224), et antiquissima Ecclesiae praxi, semper modo sub una, et modo sub duplici specie sumpta est. Ergo absolute Eucharistia conficienda est sub utraque specie; et in potestate Ecclesiae est ordinare modum, quo a non conficientibus debeat suscipi. Nec valet adjuncta ratio, quod Sacramenta recipi debent eodem modo, quo conficiuntur: Etenim id jam servatur in Catholica doctrina, quoniam sub duplici specie recipere debent Sacerdotes conficientes.

236. *C.* Atqui Eucharistia sicut sub duplici specie conficitur; ita quoque ab omnibus etiam non conficientibus recipi debet. Ergo etc. *Prob.* Ex natura hujus Sacramenti, et ex Christi praecepto. Et quidem I. Christus hoc Sacramentum instituit ad suam passionem

significandam. Et quia in Passione futura erat laceratio Carnis, et Sanguinis effusio, idcirco sub duplici specie panis, et vini voluit instituere. Sed sicut conficientes debent hoc facere in Christi commemorationem: *Hoc facite in meam commemorationem* (I. ad Corinth. cap. XI. v. 24); ita etiam sumentes: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* (ib. v. 26). Ergo Eucharistia sicut confici, ita quoque sub duplici specie debet sumi. II. Et quidem sic Christus praecepit faciendum. Etenim Joann. cap. VI. v. 54. dicit: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo etc.

℟. Et quidem ad primum dicimus, quod princeps Christi finis in institutione Sacramenti Eucharistiae fuit collatio gratiae, sive refectio spiritualis. Et quoniam causa hujus gratiae erat sui ipsius passio, quae fieri debebat laceratione Carnis, et effusione Sanguinis, idcirco Eucharistiam, ut Sacramentum, voluit instituere sub specie panis, qui esset symbolum Carnis, et sub specie vini, quod esset symbolum Sanguinis; et ut sic etiam melius significaretur spiritualis refectio. Ergo panis, et vinum ex Christi institutione sunt materia completa hujus Sacramenti. Sed ministri Sacramenta conficere debent sub materia completa a Christo instituta. Ergo absolute Eucharistiae Sacramentum debet confici sub duplici specie, quin Ecclesia facultatem habeat aliter disponendi, quoniam de re agitur essentiali, ut est materia. Sed tam Sacramenti, quam Sacrificii na-

tura requirit, ut sint completa in omnibus. Ergo Sacerdos conficiens sub utraque specie quoque debet sumere Eucharistiam, ut perfectum habeatur juxta voluntatem Christi tam Sacramentum, quam Sacrificium. Sed hoc non item necessarium est respectu non conficientium. I. quia supponitur jam perfectum et Sacramentum, et Sacrificium, et hi suscipientes participant tantum illius effectum, gratiam scilicet spiritualis refectionis, qui est princeps finis, cur hoc Sacramentum Christus instituit, et totam quidem participant quia rem per totum recipiunt Christum, quia, ut supra demonstratum est, ipse sub unaqualibet specie totus continetur. II. quia sic verificatur quoque alter Christi finis, significandi scilicet sui Passionem, quia Carnis laceratio necessario conjungitur cum effusione Sanguinis, et Sanguinis effusio cum laceratione Carnis, et idcirco semper commemoratur Christi passio, *Hoc facite in meam commemorationem .... Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis.*

Quoad alterum vero, videant adversarii, quod Apostolus post laudata verba, *Quotiescumque etc.* immediate subdit. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne etc.* Ad quid particula *vel*, si absolutum Christi praeceptum esset communicandi sub utraque specie? Sed nullum revera existere divinum praeceptum, ut omnes sub utraque specie sumant Eucharistiam jam demonstratum est in prop. praecedenti §. 225. et seq.

DISPUTATIO VI.

De materia, forma, necessitate, et effectibus Eucharistiae, nec non de dispositionibus necessariis in suscipientibus.

237. Plura ergo in hac ultima disputatione examinanda occurrunt, sed quod praesertim ad Sacramenti rationem pertinet, primo, juxta tamen propositam brevitatem, agendum est de materia, et forma.

De materia, et forma Sacramenti Eucharistiae.

238. Quoad materiam igitur, si Novatores excipias, ut qui negant transubstantiationem, duplici modo communiter spectari solet Eucharistiae Sacramentum, scilicet *in fieri*, et *in facto esse*, et inde duplex distinguitur materia, remota nempe, et proxima. Remotam esse panem, et vinum, quae converti debent in Corpus, et Sanguinem Domini, conveniunt omnes, praeter Gnosticos, qui, teste Epiphanio Haeres. XXVI. 2., conficiebant Eucharistiam ex abortivo infante, quem contundebant; item Artotyritas, qui ex eodem Epiphanio Haeres. XLIX. consecrabant panem cum caseo mixtum; rursus Aquarios, qui ex S. Cypriano Epist. LXIII. solam aquam offerebant; et tandem Manichaeos, qui abhorrebant a substantia vini (ita apud Lud. Hab. de Euch. p. II. cap. IV.).

239. Quoad vero materiam proximam non convenit inter Theologos. Nonnulli enim illam constituunt in con-

versione panis, et vini in Corpus, et Sanguinem Christi, ea ducti ratione, quod in aliis Sacramentis actio Ministri est materia proxima, uti ablutio in Baptismate. Alii dicunt, materiam proximam, et adaequatam esse ipsum solum Corpus, et Sanguinem Domini, rejectis pro materia partiali panis, et vini speciebus, ut quae non sunt signa gratiae, quae confertur. Et alii, quibus assentitur laudatus Lud. Habert ibidem, dicunt, materiam proximam, et adaequatam hujus Sacramenti esse Corpus, et Sanguinem Christi, et simul panis, et vini species; illa quidem ut causa gratiae, quae producitur, et hae ut signa sensibilia, sub quibus illa continentur. Haec sententia nobis quoque probabilior videtur: Et propterea sit.

PROPOSITIO XX.

Pro proxima completa materia Eucharistiae Sacramenti ad realem Christi Corporis et Sanguinis praesentiam probabilius videntur addendae panis, et vini species.

240. Sacramenta definiuntur per signa sensibilia, quae gratiam continent, quam significant. Ergo duo, praeter caetera, ad Sacramenta requiruntur, ut scilicet sint signa sensibilia, et ut gratiam conferant. Sed realis praesentia Christi Corporis in Eucharistia, licet per se sola gratiam producat spiritualis nutritionis, ipsa tamen per se sensibilis non est, sed exprimitur sub symbolo sensibili specierum panis, et vini. Ergo species quoque istae pertinent ad completam proximam materiam

hujus Sacramenti. Et eo vel magis id probabile videtur, quia species ipsae non solum sunt signa sensibilia Corporis, et Sanguinis Christi, et inde ejusdem passionis quae in nostram memoriam revocatur in hoc Sacramento; sed sunt quoque symbolica signa maxime apta ad indicandam gratiam spiritualis nutritionis.

241. Et id confirmatur ex verbis Concilii Trident. sess. XIII. Can. I.: *Si quis negaverit in Sanctissimae Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem etc.* Ergo ex Concilio Corpus, et Sanguis Christi per se sola non sunt Sacramentum, sed in Sacramento continentur, idest sunt solum materia proxima partialis Sacramenti. Et propterea ad materiam completam proximam videntur necessariae panis, et vini species.

Solvuntur objectiones.

242. Quae adversus nostram propositionem objici solent duplicis, et inter se oppositi generis sunt; alia enim contra species panis, et vini sunt pro sola praesentia Christi Corporis; et alia contra pro solis speciebus. Qui solam Christi Corporis praesentiam tuentur pro proxima completa materia Sacramenti Eucharistiae sic suas conficiunt rationes: Quod veluti vera substantia non existit, cum Sacramentum gratiam operatur, cui est ordinatum, Sacramenti materia esse nequit, quia signum, quod dicitur esse Sacramentum, debet efficaciter significare gratiam, id quod convenire non potest simplicibus speciebus, quae non sunt substantiae

existentes. Contra : qui solas species pro proxima completa materia propugnant, sic ratiocinantur : Materia Sacramenti debet esse quid sensibile. Sed Christi Corpus in Eucharistia non est sensibile. Ergo pro partiali materia statui non potest. Et quidem sic videtur docuisse Innocentius III. in cap. *Cum Martha* de celebratione Missarum, quem sequuntur S. Thomas, et multi Theologi, dicentes, species esse tantum Sacramentum.

℟. Ex quo oppositis inter se rationibus nostra propositio impetitur, inde praesertim probabilior videtur. Etenim in hypotesi, quod vera sint, quae opponuntur, recte infertur, quod neutra ex oppositis sententiis vera erit : et propterea ni certo vera, probabilior saltem erit nostra. Et quidem si materia Sacramenti debet esse res sensibilis, nullatenus pro completa potest esse realis, sed invisibilis Christi praesentia, sed necessariae sunt species quae licet ipsae per se non sint substantiae, neque contineant gratiam, significant tamen Christi Corpus, et Sanguinem, ex quibus producitur gratia : quinimo et gratiae ipsius, quae est nutritio spiritualis, sunt apta symbola, quia panis, et vinum sunt vera causa nutritionis corporis.

Quod si contra materia Sacramenti necesse est, ut sit res realis existens, et efficaciter significet gratiam, certe species, quae per se non sunt substantiae, sed solum substantiarum signa, pro proxima completa materia statui non possunt. Quid ergo? Ergo dicendum, quod pro proxima completa materia Sacramenti Eucharistiae ad realem Christi Corporis praesentiam probabi-

lius videntur addendae panis, et vini species. Etenim sic habetur causa continens, et efficaciter operans gratiam, et signum quoque sensibile, idest species, quae designant praesentiam Christi Corporis, et simul sunt apta symbola gratiae, quae a Christo producitur.

Quod vero ad Innocentium pertinet, quem videtur sequi S. Thomas, et alii Theologi, dicimus, quod ipse in laudato loco tria in Sacramento distinguit. I. quod est tantum Sacramentum, scilicet quod significat, et non significatur, uti sunt species, quae significant Christi Corpus et Sanguinem, et etiam gratiam nutritivam, et tamen ipsae non significantur. II. quod est res Sacramenti, et etiam Sacramentum: scilicet quod significat simul, et significatur, ut Christi Corpus, et Sanguis; quae significantur a speciebus, et ipsa significant gratiam nutritivam. III. quod tantum est res Sacramenti: scilicet quod significatur, et non significat, ut est gratia nutritiva, quae significatur a speciebus, et significatur simul et producitur a Corpore, et Sanguine Jesu Christi, et nihil ipsa ulterius significat. Patet ergo, quod nihil inde deduci potest contra nostram propositionem.

243. Plures aliae quaestiones circa aptam materiam Eucharistiae agitari solent in Scholis, sed nos, declinatis omnibus, duas tantummodo breviter attingimus, unam scilicet circa qualitatem panis, et alteram circa qualitatem vini. Prima est inter Latinos, et Graecos Schismaticos, qui cum conveniunt, panem esse debere triticeum, dissentiunt tamen quoad modum illum praeparandi. Etenim Latini dicunt, panem triticeum, sive sit

azymus, sive sit fermentatus, aptam materiam esse Sacramenti Eucharistiae. Ast Graeci Schismatici saeculo XI. duce Michaele Caerulario Patriarcha Constantinopolitano acre bellum indixerunt Latinis contendentes, pro validitate consecrationis necessario requiri panem fermentatum.

244. Magno rumore quaestio isthaec agitata fuit. Sed ex Dei misericordia consopita fuit an. 1438. in Conc. Florentino, in quo utraque Ecclesia Latina, et Graeca convenerunt, quod panis, sive sit azymus, sive sit fermentatus, est materia apta pro Sacramento Eucharistiae. Quinimo solemnem de hoc Patres suam dederunt definitionem, praecipiendo tamen, ut utraque Ecclesia suam retineret consuetudinem. *Definimus insuper*, inquiunt, *sive azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altari ipsum Corpus Domini conficere debere, unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.*

245. Mirum quidem, quod Novatores in omnibus nostrae Ecclesiae hostes hunc Schismaticorum errorem non renovaverint, sed agnoscentes in azimo validitatem consecrationis, solum contendunt, panem fermentatum esse materiam aptiorem. Sit ergo nostra de fide.

PROPOSITIO XXI.

Panis triticeus sive sit azymus, sive sit fermentatus, est valida materia Sacramenti Eucharistiae.

246. Haec nostra propositio, quae est de fide, quia expresse definita fuit a Concilio Florentino (§. sup.), licet duas habeat partes, quia tamen de altera, scilicet quod panis fermentatus, quo utuntur Graeci, sit materia apta pro Eucharistia, absque ulla difficultate Latini illis concedunt, idcirco altera tantum demonstranda, et vindicanda est contra Graecos Schismaticos, qui panem azymum obstinate rejiciunt tamquam materiam non aptam pro Sacramento; et aliquo etiam modo contra Novatores; qui materiam aptiorem dicunt panem fermentatum.

247. Itaque in hoc sensu sic probatur. *Procul dubio* in primo die azymorum Christus Eucharistiam instituit. Etenim habemus Matth. cap. XXVI. v. 27.: *Prima autem die azymorum accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Et v. 19.: *Et fecerunt Discipuli, sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha...Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Et v. 26.: *Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite, hoc est Corpus meum etc.* Item Marci cap. XIV. v. 12. scriptum est: *Et prima die azymorum, quando Pa-*

scha immolabant, *dicunt ei discipuli*: *Quo vis eamus*, *et paremus tibi*, *ut manduces Pascha?* Et v. 17. *Vespere autem facto*, *venit cum duodecim*. Et v. 22. *Et manducantibus illis*, *accepit Jesus panem*, *et benedicens fregit*, *et dedit eis*, *et ait*: *Sumite*, *hoc est Corpus meum etc.* Et sic pariter Lucae cap. XXII. v. 7: *Venit autem dies azymorum*, *in quo necesse erat occidi Pascha*. *Et misit Petrum*, *et Joannem*, *dicens*: *Euntes parate nobis Pascha*, *ut manducemus*. Et v. 19: *Et accepto pane*, *gratias egit*, *et fregit*, *et dedit eis*, *dicens*: *Hoc est Corpus meum*, *quod pro vobis datur*: *Hoc facite in meam commemorationem etc.* Quibus positis, sic argumentamur. Nimis scandalosa temeritas est non solum asserere, sed cogitare tantum, non aptam materiam esse Sacramenti Eucharistiae illum ipsum panem, quo Christus usus est in illius institutione. Sed Christus usus est pane azymo. Ergo etc. *Prob. min.* Christus ex adductis testimonis Eucharistiam instituit prima die azymorum, cum Pascha celebravit cum Discipulis suis. Sed in illa die, quae erat solemnis, et etiam in sex sequentibus, sub gravissima poena, nullibi apud Israelitas nec manducari, nec servari poterat panis fermentatus, ut legimus Exodi cap. XII. v. 15: *Septem diebus azyma comedetis*: *in die primo non erit fermentatum in domibus vestris*: *quicumque comederit fermentatum*, *peribit anima illa de Israel a primo die usque ad diem septimum*. *Dies prima erit sancta*, *atque solemnis*. Ergo etc.

248. Etsi clarissima sint Evangelistarum, et Exodi

testimonia pro azymo pane ad conficiendam Eucharistiam, nolumus tamen inde deducere, ut talis quoque non sit panis fermentatus. Etenim Catholici, dum panis sit triticeus, ut autem sit azimus, vel fermentatus hanc circumstantiam dicunt non esse essentialem, sed tantum accidentalem: quinimo firmiter stantes decreto Concilii Florentini (§. 246), dicunt quod utraque Ecclesia servare debet suam consuetudinem.

Audiuntur Graeci Schismatici.

249. Plura objiciuntur a Graecis Schismaticis, sed pauca afferimus. I. Christus non consecravit ex azymo, ut perperam Latini deducunt ex verbis Matth., Marci, et Lucae, sed ex fermentato. Ergo falsum hoc unum illorum momentum. Et quidem in Evangelio Joannis cap. XIII. v. 1. legimus: *Ante diem festum Paschae sciens Jesus. . . Et Coena facta etc. etc.* Et cap. XIX. v. 14. et seq. habemus, quod in Parasceve Paschae, scilicet in vigilia Paschae, Pilatus morti tradidit Christum. Ergo si Christus coenam, in qua instituit Eucharistiam, celebravit ante diem Paschae, in qua non dum erant azyma, dicendum, quod in fermentato, non in vero azymo consecravit. II. Et id confirmatur ex traditione. Etenim juxta legem Judaicam, nonnisi septem dumtaxat diebus erat usus azymorum, et ubique in aliis locis, et nationibus panis azymus erat ignotus. Sed Apostoli, et alii omni tempore, et apud plures nationes Eucharistiam conficiebant. Ergo conficiebant in communi pane fermentato. III. Et id ea et-

iam ratione, quia in lege evangelica cessare debebant legalia, ad quae panis azymus pertinebat. IV. Et propterea Concilium Trullanum can. XI. praecepit, *Ne clerici*, aut laici comedant azyma Judaeorum.

℟. Et quidem ad primam difficultatem dicimus, quod sive Christus consecraverit in azymo, sive in fermentato, id non attingit essentiam Sacramenti Eucharistiae, sed solum disciplinam, sive accidentalem circumstantiam panis triticei, quae est sub Ecclesiae potestate. Unde sicut nos dicimus validam consecrationem Graecorum in fermentato, etsi probabilius videatur, Christum consecrasse in azymo ex triplici allato testimonio (247) Evangelistarum; ita valida quoque dicenda est consecratio in azymo, etsi contrarium videatur testimonium Joannis. Sed inter se contradicunt Evangelistae? Absit tanta blasphemia! Ut igitur concilientur opposita verba Joannis cum illis, quae attulimus aliorum trium Evangelistarum, et etiam verba Levitici cap. XXIII. v. 5. *Mense primo* (Nisan) *quartadecima die mensis ad vesperam Phase Domini est: et quinta decima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus*, cum verbis Exodi cap. XII. v. 18: *Primo mensae* (Nisan) *quartadecima die mensis ad vesperam, comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris. Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus etc.* Ut ista omnia, inquam, concilientur, sciendum quod duplici modo numerabantur dies apud Israelitas, legali

scilicet, et naturali. Dies legalis incipiebat a vespere diei praecedentis, et desinebat vespera diei subsequentis: Naturalis vero a media nocte ad aliam mediam noctem. Ergo in re nostra dies legalis azymorum incipiebat die decima quarta ad vesperam: *Primo mense, quartadecima die mensis, ad vesperam comedetis azyma* (Exodi cap. XII.) Naturalis vero ordinis primus dies azymorum incipiebat a media nocte post diem quartam decimam, *Quintadecima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est* (Levit. cap. XXIII), et terminabat nocte sequenti. Ex his igitur patet, quod perfecte conveniunt inter se Evangelistae, quoniam Joannes sequitur ordinem naturalem, et alii tres ordinem legalem. Sed verum est, quod in hoc ordine legali ad vesperas adhibendus erat panis azymus: *Quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma* (Exodi XII.). Ergo probabilius est, ut Christus in azymo consecraverit. Et haec quidem est doctrina multorum Patrum, S. Hieronymi in caput XXVI. Matth., S. Chrysostomi etc. et praesertim Augustini, qui Epist. XXXVI. alias LXXXVI. cap. XIII. scribit: *Traditus est* (Christus) *ea nocte, quae . . . ad sextam sabbati, qui dies passionis ejus manifestus est, pertinebat. Hic dies primus azymorum fuit a vespere incipiens. Sed Matth. Evangelista quintam Sabbati dicit fuisse primam . . . azymorum: quia ejus vespera sequente futura erat coena Paschalis, qua . . . incipiebat azymum, et ovis immolatio manducari.*

Quod si ratio quaeratur, cur tres Evangelistae potius secuti fuerint ordinem legalem, quam naturalem,

quem secutus est Joannes, dicimus, ideo hoc factum esse, quia cum incepissent enarrare, novum Pascha a Christo substitutum fuisse veteri, sive veritatem figurae, quod non fecerat Joannes, illorum ordo postulabat, ut diligenter indicarent, verum Agnum Christum immolatum fuisse eodem tempore, et in iisdem circumstantiis, in quibus, juxta praescriptum legis, agnus typus ejus mactabatur.

Ad alteram difficultatem dicimus, quod licet concedatur, Apostolos deinceps consecrasse in fermentato, et alios quoque post illos, praesertim sub persecutionibus, quod quidem non constat semper fecisse, nihil tamen inde concludi potest contra nostram thesim. Etenim Ecclesia Latina tenet, circumstantiam azymi, vel fermentati non pertinere ad essentiam veri panis triticei, et eo vel magis, quod nihil de hoc habemus ex Scripturis. Unde cum constet, saltem probabiliter, Christum consecrasse in azymis, nihil obstat usus, ut in datis circumstantiis consecratio facta sit in fermentato, etiam in tota Ecclesia. Ex hoc enim nequit haberi vera traditio pro solo pane fermentato, sed potius pro utroque, quia tempore pacis Ecclesia Latina usum tenuit consecrandi in azymo.

Ad tertiam respondemus, quod non omnia legalia Judaeorum necessario cessare debebant in nostra Gratiae lege, sed illa dumtaxat, quae componi non poterant cum lege Evangelica, ut erant, quae significabant Christum. Et merito quidem, quia adveniente figurato, cessare debebant figurae. Ast hujusmodi non est usus azymorum, qui per se indifferens est, nisi adhibeatur

ex mala intentione judaizandi, qui animus alienissimus est ab Ecclesia Latina.

De Materia vini.

250. Circa alteram partem materiae Sacramenti Eucharistiae primo errarunt veteres Ebionitae, qui praetextu sobrietatis, teste August. haeres. LXIV. non vino, sed aqua utebantur in consecratione Eucharistica. Hos secuti sunt Hydroparastatae, seu Aquarii. Item non pauci Novatores Protestantes docebant, in casu necessitatis omnem potum esse materiam aptam Eucharistiae. Ast Ecclesia Catholica innixa decreto Eugenii IV. pro Armenis, scilicet: *Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite*, de fide tenet, et propugnat, non aliam potabilem materiam aptam esse pro consecratione Eucharistica, quam vinum vere dictum, scilicet ex uvis vitis.

PROPOSITIO XXII.

Solum vinum de uvis vitis est materia apta pro consecratione Eucharistica.

251. *Prob.* Matth. cap. XXVI. Christus postquam v. 28. calicem discipulis porrexit bibendum, statim subjunxit: *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum in regno Patris mei.* (Cum post

resurrectionem discipulis apparuit, et cum illis manducavit, et bibit). Et item Lucae cap. XXII. v. 18. *Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Ergo in calice, quem consecravit, non aliud vinum erat, quam illud ex vitis uvis expressum. Sed nihil contra habemus ex traditione. Ergo dicendum quod solum vinum etc.

252. Conf. ex traditione. Ab ipso Ecclesiae Exordio usus semper obtinuit, nec ullum contrarium exemplum habemus, ut semper in vino de uvis vitis Eucharistiae consecratio facta sit. Quinimo Concilium Carthaginense III. can. XXV. decrevit: *Ut nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, et vinum aqua mixtum.* Ergo dicendum, quod ab Apostolis id Ecclesia accepit, et eo vel magis, quod haec est doctrina Ss. Patrum, praesertim S. Cypriani Epist. LXIII. ad Concilium, et Augustini, qui lib. *de Haeresibus* haeres. LXIV. de Aquariis scripsit: *Aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud, quod omnis Ecclesia.*

Solvuntur nonnullae objectiones.

253. I. In prioribus Ecclesiae Saeculis tempore S. Cypriani fuerunt Episcopi, qui solam aquam offerebant, ne ex odore vini detegerentur Christi sectatores et morte damnarentur a Gentilibus: et tamen nec Ecclesia, nec Cyprianus ipse veluti haereticos traduxit. Ergo vinum non est altera essentialis materia Eucharistiae. II. Protestantes addunt decretum Innocentii VIII.

quo dispensavit Norvegis, ut sine calice offerrent Sacrificium.

℟. Ideo nec Ecclesia, nec Cyprianus laudatos Episcopos haereticos traduxit, quia id fecerunt ex solo timore persecutionis; non vero quia sic fieri posse contendebant. Caeterum multo zelo Cyprianus illos insectatus est. Ad alterum. Allatum privilegium fuit effictum a Dominico Viterbiensi, et Francisco Maldense, qua de causa, ut scribit Rainaldus ad an. 1490. n. 22. capite damnati fuerunt.

254. Alia quaestio hic pertractanda occurrit, num scilicet in Consecratione Eucharistica vino admiscenda sit aqua. Ut habemus ex can. XXII. Concilii Trullani an. 691. Armeni ex eo quod Eutychiana haeresi conspersi duarum naturarum unionem in Christo non agnoscebant, nonnisi purum vinum sine aqua in consecratione adhibebant. Lutherus, etsi alia de causa, hanc aquae cum vino admixtionem reprobavit veluti contra Christi institutionem. Et Kemnitius, et Lutherani cum Calvinistis, veluti rem indifferentem in nostro arbitrio positam arbitrantur.

255. Contra, non defuerunt, qui hanc aquae admixtionem essentialem dixerunt, adeo ut secus nulla esset consecratio. Et Alexander Halensis in IV. parte quaest. XII. scripsit, hanc ipsam admixtionem esse necessariam necessitate Divini praecepti.

256. Sed doctrina Catholicae Ecclesiae est, aquam vino esse admiscendam, sed minime ut partem essentialem, ita ut aliter non fieret consecratio: Etenim ex

Catech. Rom. part. II. n. 17. habemus. *Sed quamvis aquae admiscendae rationes ita graves sint, ut eam sine mortali peccato praetermittere non liceat; ea tamen si desit, Sacramentum constare potest.* Sed unde necessitas isthaec? Ex praecepto ne divino, an vero Ecclesiastico? Sane ex praecepto Ecclesiastico, quia ex solo facto Christi, qui admiscuit aquam, non infertur illius praeceptum, sicuti non infertur ex quo consecravit in azymo: Et rationes, quas Catech. Rom. (ib. n 16.) adducit, etsi graves sint, non evincunt tamen praeceptum Divinum. Et id monet Concilium Tridentinum sess. XXII. cap. VII. *Monet Sancta Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia elatere ejus aqua simul cum Sanguine exierit; quod Sacramentum hac mixtione recolitur; et cum aquae in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.*

257. Ex dictis patet, quod ex sui natura praesens quaestio potius ad disciplinam, quam ad fidem pertinet. Verum quia disciplina sub Ecclesiae potestate est, et qui aquae admixtionem rejiciunt, Ecclesiae potestatem inficiantur; idcirco Concilium Tridentinum sess. XXII. can. IX. sancivit: *Si quis dixerit . . . aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.* Propterea sit sequens

PROPOSITIO XXIII.

Aqua miscenda est vino in calice consecrando.

258. *Prob.* eo sensu, quem diximus, scilicet non quatenus aqua ex praecepto divino ad essentialem calicis materiam pertineat, sed potius, quod aquae mixtio non est contra Christi institutionem, et propterea est sub potestate Ecclesiae. Sancti Patres, plura Concilia, et liturgiae antiquissimae praescribunt aquae admixtionem cum vino in calice offerendo. Ergo etc. *Prob. ant.* quoad singulas partes. I. Concilium Carthaginense III. habitum an. 397. C. XXIV. ait: *In Sacramento Corporis, et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, et vinum aqua mixtum.* Trullanum habitum an. 692. in can. XXXII. contra Armenos inquit: *Si quis Episcopus, vel Presbyter non secundum ordinem ab Apostolis traditum facit, et aquam vino non miscens, si immaculatum offert Sacrificium, deponatur, ut imperfecte mysterium enuntians, et quae tradita sunt, innovans.* Ergo Concilia praescribunt, vino admiscendam esse aquam.

II. Sanctus Justinus Apolog. II. docet, hanc fuisse suo tempore consuetudinem. S. Irenaeus in principio tertii saeculi lib. IV. cap. LVIII. scribit: *Accipiens Dominus panem, suum Corpus esse confitetur, et temperamentum calicis suum Sanguinem confirmavit.* S. Cyprianus in Epist. LXIII. contra Aquarios scribens,

ait: *Dominica traditio servetur; neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix . . . mixtus vino offeratur.* Et ut omittamus caeteros, Hieronymus in caput XIV. Marci de Christo ait: *Format Sanguinem suum in calice, vino et aqua mixtis.*

III. tandem, omissis liturgiis S. Petri apud Latinos, S. Jacobi apud Jerosolymitanos, et S. Marci apud Alexandrinos, nec non Basilii, et Chrysostomi apud Graecos, pro omnibus sufficit afferre verba Eugenii IV. in decreto pro Armenis: *Cum ergo*, inquit, *tam Sancta Romana Ecclesia a beatis Apostolis Petro et Paulo edocta, quam reliquae omnes Latinorum, Graecorumque Ecclesiae, in quibus, omnibus sanctitatis, et doctrinae lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiae sic servaverint, et modo servant, inconveniens admodum videtur, ut quaevis alia Ecclesia ab hac universali, et rationabili discrepet observantia: decernimus, ut ipsi etiam Armeni cum universo Christiano orbe se conforment, eorumque Sacerdotes in Calicis oblatione paullulum aquae admisceant.*

259. Multa hac super re quaeri solent in Scholis; ex quibus duo breviter attingimus. I. Quae quantitas aquae vino miscenda est? II. Convertitur ne aqua immediate in Christi Sanguinem, aut prius convertitur in vinum, et vinum postea per Consecrationem convertitur in Sanguinem?

℟. Ad primum dicimus, quod ad valorem Sacrificii requiritur, ut quantitas aquae non immutet naturam

vini, ita ut post commixtionem aquae, juxta communem existimationem dici possit vinum. Sed prudentiae est, ut modica sit aquae quantitas, ita ut non excedat tertiam partem calicis, uti habemus ex cap. XIX. Concilii Triburiensis. Et Eugenius IV. in suo decreto monet, ut modicissima quantitas admisceatur. Ast non ideo probanda est nimis scrupulosa diligentia eorum, qui quasi numerando aliquas guttas infundunt.

Ad alterum respondemus, certum esse, totum calicem converti in Sanguinem Christi, sicut totus panis convertitur in corpus, etsi in utroque aliquae heterogeneae partes admixtae sint, ita ut post consecrationem non amplius in calice aquae substantia habeatur. Et quidem negari non potest, Christum totum calicem in suum Sanguinem vertisse. Sed Calix continebat vinum aqua mixtum. Ergo etc. Sed immediate ne aqua convertitur in Sanguinem, an vero prius convertitur in vinum? Dissentiunt Theologi. Divus Thomas docet, aquam prius converti in vinum, et sic mediate converti in Sanguinem Christi. Sed, ut dicam quod sentio, inutilis videtur haec quaestio nostris temporibus. Numquid vinum quantum vis purum, corpus est homogeneum, constans scilicet principiis unius generis, et non potius heterogeneum conflatum ex diversi generis principiis, inter quae forsan majorem partem tenet aqua, quae nec ipsa simplex est, ut olim credebatur, sed suis constat diversi generis partibus? Nunquid frustra tempus teramus inquirendo, utrum principia, quae aquam constituunt, integra in se reamaneant in compositione, an vero in unum aliud convertantur? Sic pariter vanum

est quaerere, utrum aqua, et caetera principia, quae vini naturam constituunt, integra in se remaneant, an vero in unam tertiam naturam convertantur. Sed quis non videt, quod vinum est corpus heterogeneum, et propterea qualitas mutatur juxta quantitatem cujusque partis componentis, et nisi una ex istis adeo caeteras excedat, ut illae quasi non amplius sentiantur, semper suum nomen, ne dicam naturam, retinet, licet qualitas mutetur? Ergo commixtio aquae cum vino in calice, nihil aliud facit, quam moderare potentiam vini augendo unam ex partibus componentibus, quapropter nisi talis sit quantitas, ut non amplius dici possit vinum, semper verum est, quod vinum, et non aliud consecratur. Sed ex Christi institutione vinum commutatur in suum Sanguinem. Ergo aqua simul cum aliis principiis, quae vinum constituunt, in Christi Sanguinem commutantur, quia, iterum dico, vinum non est corpus physico-simplex, sed compositum ex pluribus diversae speciei substantiis.

De forma Sacramenti Eucharistiae.

260. Circa Eucharistiae formam essentialiter errarunt Lutherus, et Calvinus, qui suo principio inhaerentes, quod verba Sacramentorum non sunt consecratoria, sed potius concionatoria, ille in libro *de abroganda Missa*, et hic in lib. IV. Instit. cap. XVII. dixerunt, verba, quae protulit Dominus, cum Eucharistiam instituit, *Hoc est corpus meum* etc. non esse consecratoria, sed historice potius, quam significative pronunciari a

Celebrante: et inde etiam inferebant, Eucharistiam perfici posse quibuscumque verbis idoneis ad excitandam fidem promissionum. Sed hunc errorem jam profligavimus, cum sermo fuit de Sacramentis in genere. Ergo pro certo nunc ponendum est, Eucharistiae Sacramenti formam reponendam esse in verbis, iisque consecratoriis.

261. Sed inter Catholicos non defuerunt qui propugnaverint, conversionem panis, et vini in corpus, et Sanguinem Christi non fieri per verba, *Hoc est Corpus meum* etc. *Hic est* etc, sed per praecedentem orationem, et benedictionem, inter quos praecipue numeratur Catharinus. Multa in hac sententia afferuntur momenta. Sed quoniam communis Theologorum sententia est, laudata Christi verba esse veram formam hujus Sacramenti, propterea sit

PROPOSITIO XXIV.

Eucharistiae Sacramenti forma consistit in solis Christi verbis, Hoc est Corpus meum etc.

262. *Prob.* Lucae cap. XXII. v. 19. legitur: *Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Sed Ecclesia ex hoc Christi mandato semper intellexit, in consecranda Eucharistia iisdem verbis utendum esse, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, ita ut universalis sit populi consuetudo, ut ad haec verba

genuflectantur, et proni adorent Christum, et eadem verba appellent consecrationem. Ergo et haec ipsa verba Eucharistiae forma dicenda sunt, sicut pro forma Baptismi accipiuntur verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, ex eo quod Christus dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris* etc.

263. Et haec est doctrina Sanctorum Patrum, ex quibus duos afferimus, Augustinum scilicet, et Ambrosium. Augustinus in serm. LXXXIV., alias XXVIII. *De verbis Domini* sic scribit: *Dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur in altari, panis dicatur: ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur; sed corpus appellatur.* Quid clarius? Quaenam alia Christi verba in praecedenti benedictione, et oblatione habemus? Sed offertur panis, et nonnisi post Christi verba, quae non sunt, nisi, *Hoc est Corpus meum* etc, consecratio habetur. Ergo etc. Et S. Ambrosius in lib. IV. de Sacramentis cap. IV. scribit: *Cum venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus utitur Sacerdos, sed sermonibus Christi utitur. Quomodo potest, quod panis est, Corpus esse Christi? Consecratione: Consecratio igitur quibus verbis fit? Domini Jesu.* Ergo Eucharistia conficitur a Sacerdote non suis verbis, sed Christi. Sed verba Christi, quibus utitur Sacerdos, sunt, *Hoc est Corpus meum* etc. Ergo ista sola sunt Eucharistiae forma.

264. Sed et hoc ipsum habemus ex decreto Eugenii IV. pro Armenis, et quidem assentientibus Grae-

cis. *Forma*, inquit, *hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum.* Hic notandum, quod dicens *conficit*, et non *confecit*, indicat, quod etiam nunc Sacramentum conficitur iisdem verbis, quia ipse Christus est Sacerdos, et hostia (Lud. Hab. de Euch. cap. VII.). Et hoc ipsum habemus ex Concilio Trident. cap. III.: *Commune hoc quidem est Ss. Eucharistiae cum caeteris Sacramentis, symbolum esse rei sacrae, et invisibilis gratiae formam visibilem . . . Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse, quod praebebat; et semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, et vini specie, una cum ipsius anima, et Divinitate existere.* Si statim post consecrationem, et non prius, habetur Christi Corpus; ergo habetur per verba consecrationis, *Hoc est corpus meum* etc.

De necessitate Sacramenti Eucharistiae.

265. Novatores, qui in rebus fidei, rejecta traditione, tenent, solam scripturam esse consulendam, innixi verbis Christi apud Joannem cap. VI. v. 54.: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, docent, Eucharistiam omnibus, non exceptis infantibus, necessariam esse necessitate medii ad salutem. Sed contra Catholici, qui ex traditione interpretantur Scriptu-

ras, contendunt, actualem Eucharistiae perceptionem nulli necessariam esse necessitate medii ad salutem, sed tantum necessitate praecepti divini, et etiam Ecclesiastici, necessariam esse adultis. Et propterea sit nostra de fide

PROPOSITIO XXV.

Perceptio Eucharistiae nulli necessaria est necessitate medii ad salutem, sed solis adultis est necessaria necessitate praecepti.

266. Utraque hujus propositionis pars declarata, et definita fuit a Concilio Tridentino. Et quidem quoad primam partem sess. XXI. cap. 4. ita proscripsit oppositum Graecorum, et Novatorum errorem: *Denique eadem S. Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiae communionem.* Et rationem addens, subdit: *Siquidem per Baptismi Lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam Filiorum gratiam in illa aetate amittere non possunt.* Et respondens objectionibus Graecorum, et Novatorum, addit: *Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit; ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.* Quodque ibidem definiens, sic loquitur can. IV.: *Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervene-*

rint, *necessariam esse Eucharistiae communionem; anathema sit.* Ergo ex Conc. Trident. perceptio Eucharistiae non est necessaria necessitate medii, secus, perinde ac de Baptismo, nullus sine illa posset salvari.

267. De altera autem parte sic idem Concilium sess. XIII. can. IX. definivit: *Si quis negaverit*, *omnes*, *et singulos Christi-fideles utriusque sexus*, *cum ad annos discretionis pervenerint*, *teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum*, *juxta praeceptum sanctae Matris Ecclesiae; anathema sit.*

268. *Prob.* I. *pars.* Ex Scriptura per Baptismum omnia remittuntur peccata, sanctificamur, efficimur membra Christi, et haeredes regni Coelorum. Ergo nihil aliud est necessarium necessitate medii, si Sacramentum Poenitentiae excipias pro lapsis post Baptismum. *Prob. ant.* Apostolus in I. ad Corinth. cap. VI. v. 11. scribit: *Et haec quidem fuistis*, *sed abluti estis*, *sed santificati estis*, *sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Ad Galatas cap. III. v. 26. et seq.: *Omnes enim Filii Dei estis per fidem*, *quae est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis*, *Christum induistis.* Et ad Titum cap. III. v. 5.: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Et huic veritati suffragantur omnes sancti Patres tam Latini, quam Graeci, qui una voce dicunt, quod per Baptismum omnia peccata abluuntur.

269. *Prob. II. pars.* Joannis cap. VI. v. 54. Christus ait: *Amen*, *amen dico vobis*: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, *et biberitis ejus San-*

guinem, non habebitis vitam in vobis. En praeceptum divinum, quod confirmatum, et determinatum fuit ab Ecclesia, ut saltem scilicet ab omnibus adultis servetur in Paschate.

Unica solvitur difficultas contra primam partem.

270. Contra primam partem Novatores urgent verba Salvatoris apud Joannem: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* etc. Etenim dicunt: eadem particula *Nisi*, et idem dicendi modus habetur de Baptismo Joan. cap. III. v. 5. *Amen, amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo sicut Baptismus est necessarius necessitate medii, ita etiam necessaria dicenda est Eucharistia.

℟. I. retorquendo, ut, dici solet, argumentum contra Novatores, qui haec objiciunt. Etenim ipsi Eucharistiam denegant illis, qui in mortis articulo sunt constituti. Sed quomodo id si necessaria est necessitate medii ad salutem? Ast non sibi constant, quia objectum testimonium non accipiunt de Eucharistia, sed de fide in Christum.

℟. II. Non eodem sensu eadem verba semper in Scriptura accipienda sunt, sed varie juxta varium sensum determinandum ab Ecclesiae judicio, cui, ut suo loco dictum est, competit Sacras Scripturas infallibiliter interpretari. Sic eumdem praecipiendi modum Christus videtur servasse, cum apud Joannem cap. XIII. v. 8. ait Petro: *Si non lavero te, non habebis partem*

mecum. Sed nunquid lotionem pedum necessariam dicemus necessitate medii ad salutem? Ergo pariter non ita necessaria accipienda sunt ejusdem Joannis objecta verba, *Nisi manducaveritis* etc. Et id ea praesertim ratione, quia illa tantum Sacramenta necessaria sunt necessitate medii, quae primam gratiam conferunt, uti sunt Baptismus pro omnibus, et Poenitentia pro lapsis. Ast non ita dicendum de aliis Sacramentis, quae non inchoant gratiam, sed inchoatam perficiunt, ut est Eucharistia, quae perficit charitatem, et unionem cum Christo.

De effectibus Eucharistiae, et dispositionibus in suscipientibus.

271. Quoniam Sacramenta id efficiunt, quod significant, si Eucharistiae Sacramentum a Christo institutum fuit sub speciebus panis, et vini, quae sunt alimenta corporis; procul dubio Christi Corpus, et Sanguis, quae sub illis speciebus revera sumimus, sunt verus spiritualis cibus, et potus nostrarum animarum. Et id aperte dixit Salvator ipse apud Joan. cap. VI. v. 56: *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*. Ergo quos effectus materialis cibus producit in corpore, eosdem spiritualiter recipit anima cum communicamus. Et inde sequitur, quod si nullum effectum operatur cibus in corpore mortuo, nullum pariter operabitur Eucharistia in eo, qui mortuus est in gratia. Quinimo et alio gravi peccato reus efficitur *non dijudicans corpus Domini*, ut ait Apostolus I. ad Corin-

th. cap. XI. v. 29.: *Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Et inde factum est, ut Sacramentum istud non sit mortuorum, sed viventium.

272. Sed quis crederet? Novatores abutentes testimonio Matth. cap. IX. v. 13.: *Non enim veni vocare justos, sed peccatores*: Et Joan. cap. VI. v. 51.: *Ego sum panis vivus, qui de Coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et simul innixi suo erroneo principio, quod scilicet, Sacramenta ad aliud non inserviunt, nisi ad excitandam fidem promissionum, eo temeritatis, et blasphemiae devenerunt, ut dixerint, et propugnaverint, per fidem istam necessariam ad suscipiendam Eucharistiam remitti omnia peccata lethalia; quinimo hoc Sacramentum nonnisi pro mortuis in gratia fuisse institutum, quoniam vita, quam Christus promisit, non datur, nisi mortuis. Unde Calvinus lib. IV. Inst. cap. XVII. §. 24. dicit: *Optima dispositio, qua pessime es dispositus.* Et in tract. *de com. populi* monet, removendos a perceptione Eucharistiae, qui peccato mortali non sunt irretiti. Et inde sequitur, quod per Novatores nihil aliud pro suscipienda Eucharistia requiritur, nisi fides promissionum, ex qua suscipientes pro effectu recipiunt omnium peccatorum remissionem. Hunc duplicem errorem damnavit Conc. Trident. sess. XIII. duobus can. V., et XI. (§. 169.). Et propterea sit de fide.

PROPOSITIO XXVI.

Nec praecipuus, nec unicus Eucharistiae effectus est remissio peccatorum: et sola fides non est sufficiens praeparatio ad illam suscipiendam.

273. *Prob.* Utraque propositionis pars invicite demonstratur unico testimonio Apostoli in I. ad Corinth. cap. XI. v. 28., quod sic se habet: *Probet autem seipsum homo; et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijundicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Elaborent quantum velint Novatores, quod nunquam corrumpere poterunt legitimum sensum, et vertere ad significandum, quod accedentes ad Eucharistiam solum debent seipsos tentare, num certo, et sine ulla diffidentia credant, se inde recepturos esse remissionem peccatorum. Nimis quippe per se manifestum est, quod verbum *probet* idem est ac examinet, num digne sit dispositus ad tanta mysteria suscipienda; alioquin si aliquo gravi peccato se invenerit reum, illud prius expellat non solum contritione, sed etiam sacramentali confessione. Ergo sola fides, maxime in sensu Novatorum, non est sufficiens praeparatio ad Eucharistiam recipiendam; sed prae caeteris necessario requiritur conscientia munda a peccatis mortalibus. Et propterea etiam Eucharistiae effectus

non est remissio peccatorum lethalium. Quinimo et lethaliter peccat, qui conscius sibi de gravi peccato ad Eucharistiam accedit: *Qui enim manducat indigne, judicium sibi manducat, et bibit*; quia non rectum judicium efformat de sanctitate tanti Sacramenti, neque discernit corpus Domini ab aliis cibis profanis, *Non dijudicans corpus Domini.* Et ex ista causa procedit, subdit Apostolus, ut qui cum lethali peccato sumunt, mortem recipiant pro vita, et qui sumunt sine vera Charitate, et fide, priventur augmento gratiae, et caeteris salutaribus effectibus: *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi.* Ergo neque praecipuus aut unicus Eucharistiae effectus est remissio peccatorum, neque sola fides, maxime in sensu Novatorum, est sufficiens praeparatio ad illam suscipiendam.

274. Conf. ex traditione, quam habemus ex doctrina Ss. Patrum, et auctoritate Ecclesiae, ad quam, ut suo loco dictum est, spectat infallibiliter Scripturas interpretari. Itaque S. Justinus in Apolog. II. ait: *Nulli alii participare licitum est, quam ei . . . qui ita vivit, ut Christus tradidit.* S. Cyprianus Epist. IX. improbat eos; *qui, nondum poenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu ab Episcopo, et Clero eis imposita, cum scriptum sit: Qui ederit panem, vel biberit indigne* etc. S. Joannes Chrysostomus Hom. LXXXII. in Matth.: *Nullus itaque Judas assistat, nullus avarus; nam tales mensa non suscipit; ait enim* (Christus): *Cum Discipulis meis facio Pascha.* Et item: *Quanta ergo puritate oportet et eum esse, qui hoc fruitur sacri-*

ficio? Quanto radiis solaribus puriorem esse oporteret manum illam, quae hanc carnem secat, os quod spirituali repletur igne, linguam tremendo sanguine tinctam? Et sic caeteri, praesertim Ambrosius lib. VI. in Caput. IX. Lucae, S. Gregorius lib. II. in primum Regum cap. I., et Augustinus tract. XXIV. in Joan., ubi scribit: *Innocentiam ad altare apportate. Peccata, etsi sunt quotidiana, vel non sunt mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite* etc.

275. Quod autem haec fuerit semper Ecclesiae sententia patet ex quo semper a communione rejecit peccatores nondum reconciliatos, et sic plura Concilia declararunt, ut Eliberitanum can. LXXVIII. et LXXIX., Ancyranum can. IV. V. et VII., et Nicaenum can. XI.

Solvuntur nonnullae objectiones.

276. *Ob.* Matth. cap. XXVI. v. 28. Christus ait: *Hic est sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et Joan. cap. VI. v. 52.: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ergo ex Eucharistia recipimus remissionem peccatorum, et gratiam vitae aeternae. Et haec est etiam vera sententia Ecclesiae. Etenim sic habemus in canone Missae: *Haec nos communio purget a crimine.* Nec opponitur doctrina Ss. Patrum, quorum instar omnium S. Ambrosius serm. XVIII. in Psal. CXVIII. ait: *Accedite ad eum, et absolvimini, quia remissio peccatorum est.* Ergo etc.

℟. Utique per Eucharistiam, quatenus est Sacrificium propitiatorium, si non tota, partim saltem remittitur poena peccatorum lethalium, ast nullimode illorum culpa, unde prius necesse est, ut eorumdem praecedat absolutio sacramentalis. Et ut Sacrificium, directe, et ut Sacramentum indirecte remittitur etiam culpa venialium, et poena venialium simul et lethalium per Sacramentum Poenitentiae remissorum. Et cum augetur quoque gratia, et Charitas, et animae quoque robur, ut resistere possimus tentationibus, quoniam est cibus spiritualis; propterea in Canone Missae habemus: *Haec nos communio purget a crimine*; et in simili sensu loquuntur Patres. Quoad vero testimonium Matth., utique Christi Sanguis effusus est in remissionem nostrorum peccatorum, quia per passionem ejus plene satisfactum fuit justitiae Divinae, et nostra redemptio operata fuit. Sed principem effectum, sive gratiam sanctificantem habemus per Baptismum, et Poenitentiam, quae sunt Sacramenta mortuorum, non vero per caetera Sacramenta, quae gratiam primam supponunt, et solum augent, praeter alia dona peculiaria cujusque propria.

277. Scholion. Quod si quaeratur, quaenam sint adeo singularia dona Sacramenti Eucharistiae, per quae inter omnia dignitate excellit, dicimus, quod deducuntur ex verbis Domini apud Joannem cap. VI: *Caro mea vere est cibus*. Etenim si cibus corporalis, posita vita, auget vires, et incrementum tribuit, donec ad perfectam aetatem perveniemus. II. easdem vires per morbum diminutas, non vero penitus extinctas, reparat. III. vi-

tam conservat. Tandem benevalentes delectat: ita si mortui non sumus gratiae, *Eucharistiae effectus*, ut scripsit Eugenius IV. in suo decreto, *quem in anima operatur digne sumentis, est ordinatio hominis ad Christum; et quia per gratiam Christo incorporatur, et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, et potus quoad vitam agunt corporalem, sustinendo, augendo, reparando, et delectando, Sacramentum hoc, quoad vitam operatur spiritualem.*

278. Et haec breviter, ut nostri instituti ratio postulat, circa Eucharistiae effectus: Ast quaenam necessariae sunt dispositiones, ut enumeratos effectus assequi possimus? Tria potissimum necessaria esse dicimus. I. Necessarium est, ut simus viventes, scilicet ut gratiam sanctificantem habeamus. Unde Concilium Tridentinum sess. XIII. cap. II. ait. *Sumi autem voluit* (Christus) *Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, et confortentur viventes vita illius.* Et cap. VII. *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte: certe quo magis sanctitas, et Divinitas Coelestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini etc.*

279. Secunda dispositio est, ut simus liberi ab affectu peccatorum venialium. Et ratio est, quia sicut cibus materialis non auget vires hominibus infirmis, ita Eucharistia cibus spiritualis non auget vires animae, si licet viva illa sit in gratia, infirma tamen est propter peccata venialia.

280. Tertia dispositio est reverentia singularis erga realem Christi praesentiam in Eucharistia, scilicet attente considerare debemus quid sit Eucharistia, et maxima devotione suscipere. Unde scripsit Basilius Regul. XXI. cap. VII.: *Qui ad communicationem Corporis, et Sanguinis Christi accedit, neque rationem illam considerat; cujus causa instituta est, utilitatis ex ea fructum nullum reportat.* Et D. Thomas quaest. LXXX. art. 10. ait: *Requiritur, ut cum magna devotione, et reverentia ad hoc Sacramentum accedat.*

281. Quarta dispositio est ex parte corporis, et quidem ex praecepto Ecclesiastico, scilicet naturale jejunium, quod justis de causis ob majorem reverentiam in tantum Sacramentum Ecclesia sub gravi praecepit, nisi aliter necessitas postulat. Jejunium istud in eo consistit, ut nihil per modum cibi, vel potus sumatur a media nocte praecedenti, sive id nutriat, sive non, ut est medicina. Diximus *per modum cibi, vel potus*, ut excludatur saliva, et quid per respirationem, aut lotionem oris, et etiam ex reliquiis precedentis cibi inter dentes interceptis, in stomachum descendit, hujusmodi jejunium non solvit.

PARS II.

DE EUCHARISTIA INSPECTA, QUATENUS EST SACRIFICIUM.

282. Eucharisticum Sacrificium communiter appellatur Missa a verbo *mitto*, sive quia, absoluto Sacrificio, populus dimittitur; sive quia, ut dicit S. Thomas quaest. LXXXII. art. IV. ad nonum, *Per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per Sacerdotem: Sive quia Chr stus est hostia nobis missa a Deo: unde et in fine Missae Diaconus in festivis diebus populum licentiat, dicens: ite, Missa est: scilicet, hostia ad Deum per Angelum missa est, ut scilicet sit Deo accepta.*

283. Itaque de Missae Sacrificio agentes primo vindicabimus dogma, quod sit verum Sacrificium, quod Deo offertur. II. Quod solus Sacerdos est Minister proprie offerens Missae Sacrificium. III. Verba faciemus de Missa privata. III. Brevissime agemus de idiomate, voce, caeremoniis, altare, calice, patena, corporalibus etc., quibus Missa celebratur. Et tandem, num, et pro quibus offerendum sit Missae Sacrificium, et de stipendio pro celebrante.

284. Sed ut nobis proposuimus semper facere in hoc libro, prius exponebimus dogmata, quae de Sacrificio Eucharistico definivit Concilium Tridentinum sess. XXII.

Canon I.

Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, et proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, et Sanguinem suum; anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, Missae Sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis, et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.

Canon IV.

Si quis dixerit, blasphemiam irrogari Sanctissimo Christi Sacrificio in Cruce peracto per Missae Sacrificium, aut illi per hoc derogari; anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.

Canon VI.

Si quis dixerit, Canonem Missae errores continere, ideoque abrogandum esse; anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, caeremonias, vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse; ideoque abrogandas; anathema sit.

Canon IX.

Si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars Canonis, et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari

Missas celebrari debere ; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo , eo quod sit contra Christi institutionem ; anathema sit.

DISSERTATIO I.

In Missa verum Sacrificium Deo offertur.

285. Dogma de veritate sacrificii Eucharistici , sive Missae non solum inficiantur Calvinistae Zvvingliani , Sociniani , et caeteri omnes , qui negant in Eucharistia realem Christi praesentiam , ut Methodistae , et Rationalistae ; sed Lutherus quoque cum suis sectatoribus , licet realem istam praesentiam fateantur , tamen *abominationem* appellat Missae sacrificium , illudque abrogandum esse dicit. Ut error iste clarius cognoscatur , et facilius retundatur pauca de natura Sacrificii praemittenda videntur.

286. Itaque varia , et multiplex est acceptio Sacrificii. Sed commode tamen in duas species dividitur , scilicet in Sacrificium late sumptum, et Sacrificium proprie dictum. Sacrificium late sumptum dicitur quaevis actio , quam in Dei gloriam , et honorem suscipimus. Unde habemus in Psal. L. : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Et Ecclesiastici cap. XXXV. v. 2. : *Sacrificium salutare est attendere mandatis , et discedere ab omni iniquitate.* Sacrificium vero proprie dictum , de quo nunc agimus , communiter definitur : *Oblatio rei sensibilis soli Deo facta per legitimum Ministrum ad recognoscendum ejus supremum domi-*

nium in omnes creaturas, quae ritu mystico consecratur, et immutatur.

287. Sic acceptum Sacrificium aliud est absolutum, quod scilicet per se tale est, quin ad aliud referatur; et aliud relativum, cum scilicet aliud repraesentat, a quo suam virtutem recipit, ut est Sacrificium Missae, quod repraesentat Sacrificium Crucis, et a quo suam habet virtutem.

288. Sed quia quodvis Sacrificium considerari potest respectu materiae, quae Deo sic offertur, ratione modi, quo offertur, et ratione finis, cur offertur, hinc ratione Materiae, quae varia in veteri lege offerebatur, alia Sacrificia dicebantur *hostiae*, sive *victimae*, et alia *immolationes*, *libamina* etc. Ratione modi, nonnulla dicebantur *Holocausta*, *hostiae pacificae*, aut *hostiae pro peccatis*, ut videre est in lib. Levitici. Et ratione finis sunt vel *Latreutica*, si offeruntur tantum in signum servitutis erga Deum, *Eucharistica* si fiant in gratiarum actionem; et *propitiatoria*, si perficiantur ad placandum Deum offensum ob nostras culpas; et tandem *impetratoria*, cum offeruntur ad beneficia obtinenda. His praenotatis, sit de fide

PROPOSITIO XXVII.

In Missa Deo offertur verum, et proprium Sacrificium.

289. Haec propositio, quae de fide est ex can. I. II. III. et IV. Conc. Trident. sess. XXII. (§. 284.), sic demonstratur. Sacrificium Missae est illud ipsum,

quod Christus peregit, cum Eucharistiam instituit. Sed Christus Eucharistiam instituens verum, et proprium Sacrificium Deo Patri obtulit. Ergo in Missa etc. De majori prop. nullum dubium esse potest. Etenim Christus cum in ultima coena sub speciebus panis, et vini Eucharistiam instituit, idipsum praecepit faciendum a Discipulis, et ab illorum in Sacerdotio successoribus: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.* (Lucae cap. XXII. v. 19.)

290. *Prob. min.* In Sacrificio Missae, ut supra demonstratum est, habetur realis praesentia Christi Corporis, et sanguinis, et quidem sub sensibilibus speciebus panis, et vini. Sed Christi Corpus, et Sanguis asseritur Deo Patris offerri pro nobis: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur . . . Hic est calix novum testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur* (Lucae cap. XX. v. 19). Ergo si pro nobis Corpus datur, et Sanguis effunditur, ut satisfiat Divinae justitiae pro peccatis omnium, quomodo non offertur Deo ad recognoscendum in ipso supremum dominium in omnes creaturas? Sed Christus, qui obtulit est unicus verus Sacerdos, ut suo loco demonstratum fuit (lib. VI.). Ergo Christus Eucharistiam instituens verum, et proprium Sacrificium Deo Patri obtulit.

II. Celebratio veteris Paschatis immolando agnum fuit verum Sacrificium. Sed Christus Pascha celebrans, agni immolationi substituit suum corpus, et sanguinem pro novo Paschate, et sic figura cessavit. Ergo tanto magis verum Sacrificium obtulit Eucharistiam instituens,

cum hoc tantum discrimine, quod fuerit hoc Sacrificium relativum ad illud mox perficiendum in cruce. Quinimo si illud erat typus, et figura hujus, et propterea cessare debebat, sicut revera cessavit, eo magis hoc verum, et perfectum est, quia reale, et ab illo figuratum.

III. Christus calicem porrigens Discipulis, ait: *Hic est calix novum testamentum in Sanguine meo* (Lucae ib.). Ergo cessavit tunc vetus testamentum, sive foedus inter Deum, et homines, et locum habuit novum. Sed vetus testamentum signatum fuit sanguine vituli in Sacrificium oblati. Etenim Exodi cap. XXIV. v. 5. et seq. habemus: *Obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras . . . sumptum sanguinem respersit in populum, et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum.* Ergo etiam sanguis, quo Christus signavit novum foedus, fuit sanguis veri sacrificii, quod mox in Cruce immolatione sui ipsius oblaturus erat Patri.

291. Ne praetergrediamur limites simplicis institutionis omittimus communem doctrinam Ss. Patrum, et sic concludimus ratione theologica. In omni Religione agnosci debet Deus ut supremus et absolutus Dominus omnium; debet esse aliquod publicum sensibile signum, quo illum aut offensum placare studemus, aut pro acceptis beneficiis gratias agimus. Sed hoc habetur per Sacrificium. Ergo in quavis Religione esse debent Sacrificia. Et hoc adeo verum est, ut S. Thomas II. II. q. LXXXV. art. 1. scripserit, Sacrificium esse de ju-

re naturae. Sed in nostra lege evangelica, quae sola vera est, et Divina, nullum aliud hujusmodi signum habemus, praeter Eucharistiam. Ergo Eucharistia est Sacrificium vere, et proprie dictum, licet sit relativum ad illud cruentum Crucis.

292. Praeterea: Nullus certe negabit, veterem legem fuisse figuram nostrae legis Evangelicae. Ergo omnia, quae in illa fiebant respectu ordinis supernaturalis, figurabant ea, quae fieri debebant in lege nostra, et per fidem in Christum venturum suam habebant virtutem. Sed in lege tam naturae, quam scripta, praeter Sacramenta, fuerunt etiam vera Sacrificia. Ergo sic pariter in nostra. Et propterea Eucharistia est Sacrificium vere, et proprie dictum; quinimo ejusmodi naturae est, ut omnia vetera Sacrificia in se contineat, scilicet ut sit *latreuticum*, *Eucharisticum*, *propitiatorium* etc.

Solvuntur objectiones.

293. Apostolus ad Hebraeos cap. IX. docet, unum solum esse in nostra religione verum Sacrificium, scilicet illud, quo Christus semel cruenter in ara Crucis seipsum obtulit Deo Patri pro redemptione hominum. Etenim v. 28. *Christus*, ait, *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Si semel oblatus est, quomodo iterum, et frequenter offertur in Missa? Et Cap. X. v. 10. *In qua voluntate* (Dei) *sanctificati sumus per oblationem Corporis Jesu Christi semel.* Et v. 14. *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Si semel, si una oblatione

consummata sunt omnia : Ergo unum Sacrificium , illud scilicet , quod cruenter oblatum est in Cruce.

II. Ex eodem Apostolo ib. cap. VII. unus est aeternus Pontifex Christus , et tanto melioris testamenti factus sponsor. Etenim v. 23. scribit : *Et alii quidem plures* (in veteri lege) *facti sunt Sacerdotes , idcirco quod morte prohiberentur permanere : Hic autem* (Christus) *eo quod maneat in aeternum , sempiternum habet Sacerdotium.* Si ergo unus est apud nos Sacerdos Christus , et unicum Sacrificium , quod idem semel fecit *seipsum offerendo* , ut Apostolus ipse concludit ; dicendum etc.

℞. Apostolus in primo objecto cap. ex antithesi , quam instituit inter Sacrificia veteris legis , et Sacrificium Christi non aliud intendit evincere , nisi quod illa , licet saepe repetita , nunquam tamen per se , et propria virtute poterant peccata delere , et operari veram justificationem ; cum contra Sacrificium Crucis semel a Christo oblatum haec omnia perfectissime praestiterit. Ast nullimode excludit reiterationem Sacrificii Eucharistiae , veluti est relativum Sacrificii Crucis, quo redemptio in Cruce semel operata nobis applicaretur pro augmento gratiae, et saepe recognosceretur supremum Dei dominium super omnia. Cum ergo Eucharistiae Sacrificium sit relativum Sacrificii Crucis, non vero aliud novum et absolutum , semper verum est , quod unum sit in nostra Religione Sacrificium , scilicet illud , quod Christus in Cruce obtulit, et quod *semel Christus oblatus est etc.* , ut in laudato loco dicit Apostolus. Caeterum non sibi constant Protestantes dum haec nobis objiciunt. Et-

enim licet ipsi veram, et intrinsecam non admittant justificationem ex meritis cruenti Christi Sacrificii in ara Crucis, sed imputativam tantum, tamen ut Christi justitia imputetur, dicunt, necessariam esse fidem (fiduciam) tam ad excitandam, quam ad sustinendam fidem, veluti opportuna, et necessaria media admittunt Sacramenta. Eccur ergo rejiciunt Eucharisticum Sacrificium veluti relativum Sacrificii Crucis, et medium, quo ejusdem merita vere sufficientia, et infinita nobis applicantur?

Ad alterum dicimus, quod unus quidem est nobis, et sempiternus Pontifex Christus, qui cruentum Sacrificium semel pro nobis obtulit, et *est semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Sed id non impedit, quominus sint Sacerdotes, qui veluti Christi Ministri nomine, et vice ipsius incruenter repetunt illud ipsum Sacrificium, quod cruenter Christus in Cruce obtulit. Etenim ipse Christus, qui obtulit Sacrificium Eucharisticum relativum ad illud offerendum in Cruce: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur . . . Hic est calix novum testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur* (Lucae cap. XX. v. 19. et seq.); idem praecepit Apostolis, et proinde illorum successoribus, ut idipsum facerent: *Hoc facite in meam commemorationem* (ib.)

DISPUTATIO II.

De Ministro Sacrificii Missae.

294. Primarium Eucharistici Sacrificii Ministrum esse ipsum Christum, qui est Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, declaravit Concilium Tridentinum sess. XX. cap. II. *Et quoniam*, ait, *in divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit, docet S. Synodus, Sacrificium istud vere propitiatorium esse . . . una enim, eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Ergo non hic agimus de Ministro primario.

295. Nec item quaestio est de Ministro secundario conficiendi, et offerendi Eucharistiam: hunc enim esse solum Sacerdotem, de fide tenendum est. Quippe ita definitum fuit a Concilio Lateranense IV. cap. *Firmiter* his verbis: *Hoc itaque Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus.* Item declaratum fuit ab Eugenio IV in suo decreto. Et tandem a Conc. Trident. sess. XXII cap. I. *Ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repraesentaretur . . . Sacerdotem secundum*

PROPOSITIO XXVIII.

Solus Sacerdos conficiens est immediatus, et proprie dictus offerens. Et Minister delegatus Sacrificii Eucharistici.

298. Ex praenotatis patet, quod haec propositio licet expresse non sit de fide, tamen certa est, et fidei proxima. Etenim Conc. Trident. in citato cap. I sess. XXII dicit. *Et eisdem* (Apostolis) *eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem, ut semper Catholica Ecclesia intellexit, et docuit.* Si soli Sacerdotes Apostolorum successores debent offerre: ergo ipsi soli sunt Ministri, ut idem Concilium ibidem can. II definiendo confirmavit (§. 284.)

299. Sed sic prob. ex doctrina Apostoli ad Hebraeos cap. V. v. I, ubi ait. *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et Sacrificia pro peccatis.* Ex Apostolo igitur solius Pontificis, sive Sacerdotis ex hominibus assumpti, munus est offerendi Deo dona, et Sacrificia. Sed tribuere fidelibus laicis Sacerdotium proprie dictum aperta haeresis est. Ergo etc.

300. *Prob. II.* Destruendo rationes adversariorum. Itaque duplici principio illorum doctrina' nititur, scilicet, quod essentia Sacrificii Eucharistici consistit in

sola consummatione; et item quod consummatio, sive participatio, ex essentia Sacrificii pertinet etiam ad populum. Sed falsum est utrumque principium. Ergo etc. Et quidem primum est contra communem sententiam Theologorum, qui Sacrificii essentiam saltem reponunt in consecratione simul, et consummatione a Sacerdote: Et alterum damnatum fuit a Conc. Trident. sess. XXII can. VIII. (§. 284) contra Lutheranos, qui rejiciebant Missas privatas. Ergo etc.

301. *Ob.* Ex Missae liturgia habemus, quod oblatio hujus Sacrificii aeque ac ad Sacerdotem pertinet quoque ad fideles adstantes. Ergo non solus Sacerdos etc. Et quidem in liturgia Romanensium habetur. *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris. . . Sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie. . . Orate, fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium.* Si *offerimus*, et non *offero.* Ergo non solus Sacerdos offert. Si est Sacrificium Sacerdotis simul, et nostrum; quomodo perinde ac Sacerdos proprie quoque fideles adstantes non sunt illius ministri, et offerentes?

℟. Quia Sacerdos Christi vices gerens nomine populi, non vero sui tantum sacrificium offert Eucharisticum, et quia propterea communis quoque est spiritualis effectus, idcirco dicitur *Sacrificium nostrum.* Caeterum in oblatione panis Sacerdos non in plurali, sed in singulari numero loquitur. *Suscipe, Sancte Pater . . . hanc immaculatam hostiam, quam tibi offero.* Et in fine Missae: *Placeat tibi Sancta Trinitas obsequium servitutis meae, et praesta, ut Sacrificium, quod oculis tuae Majaestatis indi-*

gnus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique, et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Ex quibus clare evincitur, quod solus Sacerdos conficiens est immediate, ac proprie dictus offerens.

DISPUTATIO III.

De Missa privata.

302. Inspecta natura Sacrificii Eucharistici, quod a Sacerdotibus Christi vices gerentibus Deo offertur in gratiarum actionem, et pro bono totius Ecclesiae, nulla quidem Missa per se est privata. Sed quoniam Lutherus, qui negabat, Eucharistiam esse quoque Sacrificium vere dictum, librum edidit *de abroganda Missa privata*, in quo impiissime damnat Missas illas, in quibus solus Sacerdos communicat; idcirco ad hunc errorem profligandum, sequimur consuetudinem distinguendi Missas solemnes, et privatas.

303. Ab errore Lutheri non aliena fuit Synodi Pistoriensis doctrina, scilicet *victimae participationem esse partem Sacrificio essentialem*, quam Pius VI in Constit. *Auctorem fidei* proscripsit ut falsam, ut erroneam, et ut de haeresi suspectam, et sapientem.

304. Catholica autem doctrina patet ex cap. VI. sess. XXII. Conc. Trident. *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae participatione commu-*

nicarent, quod ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret; nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas, et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat, siquidem illae quoque Missae vere communes censeri debent; partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiae Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.

305. In hoc capite expresse reprobatur error Lutheranorum, qui etiam solemni anathemate percutitur ibidem can. VIII. (§. 284). Ast quia Synodus Pistoriensis, licet dicat, *Victimae participationem esse partem Sacrificio essentialem*, non tamen dicit, se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant, licet minus perfecte, deipsa victima spiritu illam recipiendo; idcirco error iste damnatus fuit eo modo, quo diximus §. 303. Sit itaque de fide contra Lutherum

PROPOSITIO XXIX.

Missae, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, non sunt illicitae, neque propterea abrogandae.

306. *Prob.* Ubi ex Scripturis non constat de modo, et circumstantiis, quibus Sacramenta, et maxime Eu-

charisticum, quod est etiam Sacrificium, sunt peragenda, ad Ecclesiam pertinet ordinare consulendo traditionem. Sed nullibi praeceptum Domini habemus, ut astantes simul cum Sacerdote conficiente communicent. Etenim licet Christus, consecrato pane dederit discipulis, tamen cum dixit: *Hoc facite, in meam commemorationem*, non praecepit, ut deinceps non conficerent Eucharistiam, neque hoc Sacrificium offerrent, nisi essent, qui simul cum Sacerdote communicarent. Ergo si ad naturam Sacrificii solum spectat ut victima consummetur, non vero ut consummetur ab omnibus adstantibus, sufficit ut solus Sacerdos conficiens, et offerens communicet. Et propterea standum est Ecclesiae judicio, et traditioni, quae habetur ex antiqua consuetudine Ecclesiae, et doctrina SS. Patrum. Et quidem pro antiqua Ecclesiae consuetudine, praetermissis innumeris exemplis, sufficit auctoritas Concilii Agathensis, quod habitum an. 506 can. XVIII praecipit, ut quis communicet in diebus Nativitatis, Paschalis, et Pentecostes; et can. XXI praecepit, ut omnes Missae intersint die Dominico. Ergo consuetudo erat quotidie celebrandi Missam, quin adstantes communicarent. Pro Patribus autem sit pro omnibus Augustinus, qui, ut habemus ex Bellarm. lib. VI de Euch. cap. IX n. 24, cum saepe testetur Missae Sacrificium quotidie offerri, tamen hortatur fideles, ut saltem in Dominicis communicent.

307. Coroll. Ex damnato errore Lutheri per se patet falsitas doctrinae Synodi Pistoriensis. Etenim si victimae participatio esset de essentia Sacrificii Missae,

procul dubio nullum, et vanum esset hoc Sacrificium, et consequenter illicitum, si adstantes non communicarent. Sed de fide est contra Lutheranos, quod Missae istae, quae dicuntur privatae, non sunt illicitae, neque abrogandae. Ergo in contradictione est Synodus Pistoriensis, dum docet, victimae participationem esse de Sacrificii essentia, et tamen licitas concedit Missas privatas, in quibus adstantes non communicant.

DISPUTATIO IV.

De idiomate, voce, caeremoniis, altare, calice, patena, corporalibus etc., quibus Missa celebranda est.

308. Hactenus de illis, quae ad Missae Sacrificii intrinsecam rationem pertinent, nunc aliqua dicamus oportet, quae exterius illud respiciunt. Sit itaque primo.

De idiomate, et voce, qua Missa celebranda est.

309. Missae celebrationem in ignota lingua, et voce submissa reprobant Novatores, quorum errorem secuta fuit Synodus Pistoriensis sub praetextu revocandi antiquam disciplinam. Sed contra in Constitutione *Unigenitus* damnata fuit propositio LXXXVI. Quesnelli, quae ita se habet. *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiae, est usus contrarius praxi apostolicae, et intentioni Dei.* Item in constitutione *Auctorem fidei* proscripta

fuit doctrina Synodi Pistoriensis, quae his verbis exprimitur: *Propositio Synodi* (XXXIII) *qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum liturgiae ordinem spectantium, revocando illam, ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et alta voce proferendo*. Sed rem expedivit Concilium Tridentinum sess. XXII, ubi postquam catholicam doctrinam declaravit quoad linguam cap. VII. *Est Missa* etc., et quoad vocem cap. V. *Cumque natura hominum* etc., solemniter utrumque errorem proscripsit ibidem can. IX. *Si quis dixerit Ecclesiae Romanae ritum* etc. (§. 284.) Ex his igitur patet, quod de fide sit sequens

PROPOSITIO XXX.

Non omnia in Missa sunt alta voce recitanda, nec sola vulgari lingua celebranda est.

310. *Prob.* Quae non spectant Sacramentorum, et Sacrificiorum essentiam, sed modum tantum, et ritum, in Ecclesiae potestate est illa ordinare, et praecipere. Sed hujusmodi sunt, quae in nostra propositione asseruntur. Jure ergo Ecclesia ordinavit, et oppositam sententiam damnavit, praesertim in Conc. Trident. (§. sup.)

311. Quod ad ritus, caeremonias, vestes, et externa signa pertinet, praeter antiquos Novatores, usum Catholicae Ecclesiae reprobarunt Jansenistae, et

Synodus Pistoriensis. Ast illorum errorem Concilium Tridentinum declaravit sess. XXII cap. V dicens. *Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam . . . instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina, et traditiones, quo et Majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis, et pietatis signa, ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Et eumdem errorem solemniter damnavit ibidem can. VIII. (§. 284.) Ergo ad fidem pertinet sequens

PROPOSITIO XXXI.

Caeremoniae, vestes, et caetera externa signa, quibus Ecclesia Catholica in Missarum celebratione utitur, reprobanda non sunt, sed religiose servanda.

312. Haec propositio prob. eisdem rationibus, quas enumerat Conc. Trident. in cap. V exposito in §. sup. Scilicet ex Apostolica disciplina, quae constat ex antiquis liturgiis utriusque Ecclesiae tam orientalis, quam occidentalis; et ex doctrina vetustissimorum Patrum, qui tales ritus commemorant, uti Justinus, Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Cyrillus Hierosolimitanus, Hieronymus, Augustinus etc. Caeterum si ad Ecclesiam pertinet ordinare quae ad externum ri-

tum, et caeremonias pertinent, nemo non videt arrogantiam eorum, qui veluti superstitiosa illa existimant, et rejiciunt.

313. Superest nunc [1], ut aliqua attingamus, quae pro Missis celebrandis ex jure Ecclesiastico sunt necessaria. I. itaque requiritur Altare lapideum ab Episcopo consecratum, quam facultatem nemo negabit posse a Summo Pontifice delegari Abbati, et etiam simplici Sacerdoti. In Altaris vero consecratione sit nec ne necessarium, ut in eo recludantur Reliquiae Sanctorum, dicimus, quod non constat de hac necessitate inter Theologos. Usus tamen invaluit, ut recludantur, et quidem reclusas supponit Sacerdos celebrans, quapropter dicit: *Quorum Reliquiae hic sunt.* Ipsum autem Altare debet esse instructum Cruce, e qua imago Christi Crucifixi dependeat, luminibus ex cera, et Missale.

314. II. Necessarius est calix cum patena, quae debent esse ex auro, vel saltem argento inaurato, licet quoad Calicem sufficit, ut talis sit sola cuppa. Unde habemus cap. de cons. dist. I. *Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, saltem stranneum calicem habeat. De œre, aut orichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem aeruginem parit, quae vomitum provocat; nullus autem in ligneo, aut vitreo calice praesumat Missam cantare. Posset tamen fieri pes calicis ex cupro, sive œre; sed cuppa debet esse argentea intus inaurata, simul cum patena.* Ipsorum autem consecratio ex jure

Ecclesiastico pertinet ad Episcopos; et propterea ex dispensatione Summi Pontificis quivis Sacerdos potest consecrare. Hanc dispensationem habent multi Abbates, et Superiores Regularium, licet pro sui Ordinis Oratoriis tantum. Et hoc ipsum etiam dicendum est de consecrando Altare.

315. Quaeritur, num, et quomodo calix, et patena execrantur; et utrum non consecrata consecratur per celebrationem.

Ad I. dicimus, quod pluribus de causis execrantur, et praesertim per notabilem fractionem, et novam interiorem inaurationem.

Ad II. respondemus, quod non convenit inter Theologos. Sed probabilius videtur, consecrari juxta sententiam Augustini conc. II. in Psal. CXIII: *Pleraque instrumenta, et vasa ex ejusmodi materia, vel metallo habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quae ipso ministerio consecrata sancta dicantur.*

316. Multa alia praescribunt Rubricae Missalis, et praesertim Corporale cum palla, quae, ut habemus ex cap. *Consulto* de Consecrat. dist. I. consecrari debent auctoritate Episcopi, ut dictum est de calice, et patena, et tres mappae super Altare, quarum superior debet esse integra, et altera potest duplicari. Nihil dicimus de vestibus.

DISPUTATIO ULTIMA.

Num, et pro quibus offerendum sit Sacrificium Missae, et de stipendio pro Celebrante.

317. Pro nulla particulari persona Missae Sacrificium applicari posse erronee docuit Synodus Pistoriensis, quae prop. CXX.: *Profitetur credere, Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen, ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis. Non tamen quod credamus, in arbitrio esse Sacerdotis applicare fructus Sacrificii cui vult: imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii, cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet; unde et consequenter traducit velut falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui Eleemosynam subministrant Sacerdoti sub conditione, quod celebret unam Missam, specialiter fructum ex ea percipiant.*

318. Haec propositio proscripta fuit in Dogmatica Constitutione *Auctorem fidei*, et quidem ut *falsa*, *temeraria*, *perniciosa*, *Ecclesiae injuriosa*, et *inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo*. Ergo proxima fidei est sequens.

PROPOSITIO XXXII.

Potest Sacerdos specialiter applicare Missae Sacrificium pro aliquibus personis, ut illis, caeteris paribus, specialis fructus proveniat.

319. *Prob.* Ecclesia damnavit oppositam propositionem Synodi Pistoriensis (§. sup.). Ergo probat, et docet nostram. Sed ut suo loco (lib. II) demonstratum est, de fide tenendum est, quod Ecclesia errare non potest in iis, quae ad fidem, et mores pertinent. Ergo etc. Quod autem haec sit Ecclesiae doctrina confirmatur ex Encyclica *Cum semper* Benedicti XIV, in qua ex doctrina Concilii Tridentini intulit, *Eos quibus animarum cura demandata est, non modo Sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illum pro aliis applicare.* Quod autem ex ista speciali applicatione, caeteris paribus, specialis fructus proveniat illis, pro quibus fit applicatio, habemus ex damnato Wicleffi errore in Concilio Costantiensi, scilicet: *Speciales orationes applicatae uni personae per Praelatos, vel religiosos non plus prosunt eisdem, quam generales.*

320. Sed et haec ipsa veritas confirmatur ex veteri testamento, in quo fiebant Sacrificia, et oblationes pro particularibus personis; et in nostra lege Evangelica ex antiquissima consuetudine offerendi Missae Sacrificium pro datis personis, ut habemus ex Tertulliano, qui in lib.

de Exhort. Castit. cap. II. inquit: *Pro cujus spiritu* (primae uxoris defunctae) *postulat, oblationes annuas reddit.* Ex S. Cypriano, qui voluit, ut secundum antiquos canones offerretur Sacrificium pro anima Victoris. Et sic ex Eusebio lib. IV. cap. CXXI. Ex S. Augustino lib. IX. *Confess.* cap. XII. n. 32. et ex multis aliis, praeter antiquas liturgias. Unde S. Thomas ex hac universalis Ecclesiae praxi sic argumentabatur in supplem. quaest. LXXII. n. 13. *Si ergo suffragium pro multis factum valet singulis tantum ac si pro uno tantum fieret, videtur quod Ecclesia non debuit instituere, ut pro aliquo fieret singulariter Missa, vel oratio, sed semper diceretur pro omnibus fidelibus defunctis: quod patet esse falsum.* Ergo si ex antiquissima, et constanti Ecclesiae praxi, cui conformis est doctrina Patrum, pro particularibus personis Missae Sacrificium oblatum est, dicendum, quod potest Sacerdos etc.

Solvuntur objectiones.

321. Plura ab adversariis objiciuntur. Sed praesertim. I. Missae Sacrificium est infiniti valoris, et id quidem non solum ratione victimae, quae offertur, sed etiam ratione principalis offerentis, qui est ipse Christus victima, et Sacerdos in aeternum. Ergo vanum est pro particularibus offerre. II. Et sic revera offertur pro omnibus fidelibus, et in charitate defunctis, ut habemus ex duabus orationibus: *Memento Domine . . . omnium, quorum tibi fides cognita est, et*

nota devotio. Et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, et pacis ut indulgeas, deprecamur. III. Ergo stipendium, quod pro particulari applicatione tribuitur nihil amplius prodest tribuentibus, quam meritum eleemosynae.

℟. Et quidem ad 1. dicimus quod licet Missae Sacrificium per se sit infiniti valoris, fructus tamen illius modo finito nobis applicatur, alioquin vanum esset pluries offerre, et quidem quotidie tam pro vivis, quam pro defunctis, quod certe non admittunt Adversarii, quia opponitur Christi praecepto: *Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque* etc. Ergo, caeteris paribus, plus prodest illis, pro quibus particulariter applicatur.

Ad II. dicimus, quod triplex distinquitur fructus Missae Sacrificii, scilicet specialis, generalis, et medius. Specialis est ipsius Sacerdotis offerentis, nec potest aliis applicari: unde in Canone Missae Sacerdos dicit: *Offero pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentiis meis.* Generalis pertinet ad omnes fideles tam viventes, quam in charitate defunctos: Unde in eodem canone Sacerdos applicat pro omnibus, pro Papa, pro Episcopo, et pro tota Ecclesia tam militante, quam purgante. Et medius fructus est in dispositione Celebrantis, cui vult applicare, quod facit, cum secreto orat, et quidem ad sui arbitrium. Et ex inde patet responsio ad III., quod scilicet, praeter meritum eleemosinae, illi, pro quibus Sacrificium Missae particulariter offertur, recipiunt quoque fructum medium.

322 Tandem circa stipendium pro Sacerdote celebrante plura disputari solent; sed pauca nos attingimus, remittendo caetera Theologis moralibus. Itaque I. quaeritur, num stipendium sit licitum? II. Quod stipendium extimatur licitum, et honestum? III. potest ne duplex stipendium recipi pro eadem Missa applicando etiam partem specialissimam fructus, quae est propria Sacerdotis? IV. Qui parvum stipendium pro pluribus Missis accepit potest ne minorem numerum celebrare, ut justum stipendium habeatur? Tandem. Qui pinguius stipendium accepit, potest ne illius partem sibi retinere, tribuendo alii Sacerdoti, cui committit celebrationem, stipendium a lege taxatum?

℟. Et quidem ad I. affirmative. Et ratio ipsa suadet, quoniam qui Altari inservit, justum est, ut de Altare vivat.

Ad II. Illud stipendium existimatur licitum, et honestum, quod taxatum est ab Episcopo vel a consuetudine ab Episcopo non reprobata. Quod si plus voluntarie tribuatur, non est contra justitiam retinere.

Ad III. Non potest. Et constat ex propositione damnata ab Alexandro VII. an. 1661., quae sic exprimitur: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.*

Ad IV. Non potest, quia pacta stricte servanda sunt. Et oppositum damnatum fuit ab Urbano VIII. an. 1625, et etiam consimili modo ab Innocentio XI. an. 1679. Nec juvat adducere Concilium Tridentinum, quod sess.

XXV, cap. IV. facultatem tribuit Episcopis, ut in Synodo Dioecesana, itemque Abbatibus, et Generalibus Ordinum, in suis Capitulis generalibus, reducendi numerum Missarum, si stipendium sit minus, quam inveniri possint, qui tale munus velint suscipere. Etenim circumstantia est omnino diversa. Quippe Concilium loquitur de illis stipendiis, quae congrua erant, cum praescriptus fuit numerus Missarum, et postea innumeris de causis sunt imminuta.

Ad ultimum respondetur pariter negative. Et quidem Urbanus VIII. an. 1625., et Alexander VII. an. 1665 damnarunt hanc propositionem: *Potest Sacerdos, cui Missae celebrandae tradunt, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Excipiuntur tamen administratores Ecclesiarum, qui ex eodem Urbano, possunt aliquid retinere, quantum necessarium est pro expensis cereorum, panis, vini, paramentorum etc., quae necessaria sunt pro Missarum celebratione. Et haec breviter de Sacramento Eucharistiae.

CAPUT IV.

De Sacramento Poenitentiae.

323. Poenitentiae Sacramento jam a tertio Ecclesiae saeculo non parum derogavit Anti-Papa Novatianus, qui Ecclesiae ademit potestatem remittendi peccata graviora, propterea quod dicebat, hujusmodi peccata post Baptismum commisa esse irremisibilia. Ita scribit S.

Ambrosius in lib. *de Poenit.* cap. I. Et S. Augustinus lib. *de Agone Christiano* cap. XXXI. Sed infensissimum hoc bellum renovarunt Lutherani, et Calvinistae. Quippe suo erroneo principio adhaerentes Protestantes, et Roformati, scilicet I. quod originale peccatum non vere deletur per Baptismum, sed tegitur tantum per fidem (*fiduciam*), quae per Baptismum excitatur. II. quod peccata actualia, quae sunt manifestationes, seu particulares formae peccati originalis, quod nunquam fuit extinctum, consequenter per Sacramenta non remittuntur, sed tantum virtute ejusdem fidei Baptismi, quae per Sacramenta renovatur, pariter non imputantur: inde factum est, ut Poenitentiae effectus tribuendi sunt Baptismo, sive fidei, quae primo in Baptismo excitata fuit, et propterea nullimode Poenitentia dici possit Sacramentum.

324. Contra: Cum Ecclesiae Catholicae doctrina sit quod originale peccatum, et actualia quoque omnino delentur per Baptismum; et peccata post Baptismum commissa non sunt manifestationes peccati originalis, sed alia nova peccata, inde docet, et sustinet, Poenitentiam esse verum Sacramentum, per quod peccata ista post Baptismum commissa vere remittuntur, et nos ex injustis vere, et intrinsecus efficimur justi. Et propterea dicit, Poenitentiam esse alteram salutis tabulam post naufragium. Duo ergo sunt Ecclesiae Catholicae dogmata. I. quod Poenitentia est verum novae legis Sacramentum. II., quod sit distinctum a Sacramento Baptismi.

325. Sed pluribus dissertationibus, verum brevissimis, rem totam absolvemus. In I. vindicabimus duo

praedicta dogmata, scilicet quod Poenitentia sit verum novae legis Sacramentum, et quod sit a Baptismo distinctum. In II. sermo erit de actibus necessariis in Poenitente, videlicet contritione, confessione, et satisfactione. In III. videbimus, quinam sit Minister hujus Sacramenti, quaenam forma, et quaenam materia. Tandem veluti pro appendice, pauca dicemus de indulgentiis.

326 Sed prius, juxta nostrum propositum, praemittenda sunt dogmata, quae Concilium Tridentinum de hoc Sacramento definivit sess. XIV.

Canon I.

Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere, et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.

Canon II.

Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Poenitentiae Sacramentum esse dixerit, quasi haec duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata,

remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, et retinendi peccata in Sacramento Poenitentiae, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem praedicandi Evangelium; anathema sit.

Canon IV.

Si quis negaverit, ad integram, et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in Poenitente, quasi materiam Sacramenti Poenitentiae, videlicet, contritionem, confessionem, et satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes dicuntur: aut dixerit, duas tantum esse Poenitentiae partes, terrores scilicet conscientiae, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit, eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum suorum gravitatem multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum, et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; demum, illam esse

dolorem coactum, et non liberum, ac volontarium; anathema sit.

Canon VI.

Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum essè ab institutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant; sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, et consolandum poenitentem, et olim observatum fuisse tantum, ad satisfactionem canonicam imponendam, aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student nihil relinquere velle Divinae misericordiae ignoscendum; aut Deum non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes, et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimae; anathema sit.

Canon IX.

Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem; sed nudum ministerium pronunciandi, et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat, sę esse absolutum; aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat, aut dixerit, non requiri confessionem poenitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.

Canon X.

Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, atque solvendi non habere, aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, et singulis Christi fidelibus esse dictum: Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in Coelo, et quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;

et quorum retinueritis, retenta sunt: quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.

Canon XI.

Si quis dixerit, Episcopum non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.

Canon XII.

Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt, Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.

Canon XIII.

Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.

Canon XIV.

Si quis dixerit, satisfactiones, quibus Poenitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

Canon XV.

Si quis dixerit, claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum; et propterea Sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi; et fictionem esse, quod, virtute clavium, sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exolvenda remaneat; anathema sit.

DISPUTATIO I.

De veritate Sacramenti Poenitentiae, et quod nullimode confundendum sit cum Sacramento Baptismatis.

327. Ut clariori methodo disputatio procedat, primo notandum est, quod duplici sensu Poenitentiae nomen usurpari solet, ut virtus scilicet, et ut Sacramentum. Ut virtus, est *detestatio peccatorum cum firmo proposito meliori modo vivendi; et simul vindictam de nobismetipsis sumendo pro compensatione injuriae*

Deo allatae. Prout vero est Sacramentum, Poenitentia communiter definitur a Theologis Catholicis: *Sacramentum novae legis a Christo institutum, quo per juridicam Sacerdotis absolutionem homini contrito, et confesso peccata post Baptismum commissa remittuntur.* Ex superius exposita doctrina Haereticorum, maxime Calvinistarum, utique patet ipsos in hac definitione cum Catholicis non convenire: Et propterea sit de fide

PROPOSITIO XXXIII.

Poenitentia est vere, ac proprie dictum Sacramentum a Christo institutum, ut Deo reconcilientur fideles, quoties post Baptismum labuntur.

328. Haec propositio, quae de fide est ex Concilio Tridentino sess. XIV. can. I. (§. 326) sic prob. Ad vere et proprie dictum Sacramentum tria requiruntur, scilicet divina institutio, collatio gratiae, et ritus sensibilis. Sed haec tria sunt in Poenitentia, de qua agimus. Et quidem Joan. cap. XX. v. 21 et seq. Christus conferens Apostolis potestatem remittendi peccata, sive hoc Sacramentum instituens, dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. . . Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo habemus divinam institutionem. Sed remittuntur peccata, quod idem est, ac restitutio divinae gratiae amissae. Ergo habetur quoque gratiae collatio. Sed potestas ista a Sa-

cerdotibus exercetur per actum judicialem. Ergo habetur etiam ritus sensibilis tam confitentis, qui sua manifestat peccata, quam Sacerdotis, qui illa remittit. Et propterea Poenitentia est vere, ac proprie dictum novae legis Sacramentum. Et hoc ipsum confirmatur Matth., cap. XVI. v. 19 ubi Christus ait Petro: *Tibi dabo claves regni Coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Coelis.* Et item cap. XVIII. v. 18: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Coelo: Et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in Coelo.*

Libenter omittimus auctoritatem Sanctorum Patrum, et Ecclesiae praxim, unde habetur Apostolica traditio, quoniam res apertissime constat ex Scripturis.

PROPOSITIO XXXIV.

Poenitentiae Sacramentum non confundendum est cum Sacramento Baptismi, sed est ab illo prorsus distinctum, ita ut recte appelletur secunda post naufragium tabula.

329. Haec propositio pariter de fide est contra Novatores, ut solemniter definitum fuit a Concilio Tridentino sess. XIV. can. II. (§. 326.) Ipsa autem sic *prob.* Nullimode Poenitentiae Sacramentum confundendum est cum Sacramento Baptismi, si diversa omnino fuerit institutio, diversa materia, et forma. Sed res ita se ha-

bet. Et requidem vera, quoad institutionem, Baptismi Sacramentum fuit a Christo institutum, cum Matth. cap. XXVIII. v. 18. ait Discipulis: *Data est mihi omnis potestas in Coelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Et Sacramentum Poenitentiae instituit Joan. cap. XX. v. 21.: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos . . . Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Item Matth. cap. XVI. v. 19. cum ait Petro: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Coelis.* Et similiter cap. XVIII. v. 18. Verum quid haec cum Baptismate? Sed et necessario diversa est materia, et forma. Procul dubio materia Baptismi debet esse aqua: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc.; et in Sacramento Poenitentiae certo nulla alia est materia, nisi actus poenitentis: Et forma Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, prout Christus ait: *Baptizantes eos in nomine Patris* etc. Et forma Poenitentiae: *Ego te absolvo* etc. quoniam ipsa debet esse veluti sententia per actum judicialem pronuntiata: *Quorum remiseritis* etc. Ergo etc.

330. Sed adde, quod ex vera divina traditione, quam habemus ex semper constanti praxi Ecclesiae, ex doctrina conformi Ss. Patrum, et consensu omnium Theologorum etc. diversus Minister, diversus effectus, et diversa proprietas. Etenim Minister Baptismi, in casu

necessitatis potest esse quivis homo, et minister Poenitentiae est solus Sacerdos: Effectus Baptismi est delere peccatum Originis, et etiam actualia, et id quoad culpam simul, et totam poenam; et effectus Ponitentiae est remissio tantum peccatorum actualium, quae post Baptismum committuntur, et remissio solius poenae aeternae, et non totam temporalem, saltem ordinarie loquendo. Demum proprietas Baptismi est, ut non possit reiterari, et Sacramentum Poenitentiae toties repetitur, quoties erit occasio lapsus post Baptismum.

331. *Prob.* tandem ratione Theologica. Ideo per Novatores Sacramentum Poenitentiae confundi debet cum Sacramento Baptismatis, quia per Baptismum peccatum originale non deletur, sed tegitur tantum virtute fidei, sive fiduciae, et peccata actualia non sunt, nisi novae formae ejusdem peccati originalis, quae per poenitentiam similiter teguntur virtute ejusdem fidei, qua in Baptismate tectum fuit peccatum originale. Unde cum unum et idem sit peccatum originale, et peccata actualia, et una, ac eadem fides (fiducia), qua teguntur; inde inferunt Novatores, quod unum, et idem est Sacramentum Poenitentiae, et Baptismatis. Sed falsa, et erronea est hujusmodi hypothesis, ut suo loco demonstratum, et vindicatum est. Ergo etc.

Solvuntur difficultates.

332. Ob. Marci cap. I. v. 4 legimus: *Fuit Joannes in deserto baptizans, et praedicans Baptismum Poenitentiae in remissionem peccatorum.* Ergo Ba-

ptismus, et Poenitentia sunt unum, et idem. Et hoc ipsum confirmatur Actor. cap. II. v. 38 ubi Petrus ait: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus Sancti.* II. Et haec passim est doctrina Sanctorum Patrum, ex quibus afferimus Magnum Augustinum, qui clarissime omnium in lib. I. *de Nuptiis* cap. XXXIII n. 38 interpretans verba Apostoli, *Christus dilexit Ecclesiam . . . mundans lavacro aquae,* sic ait: *Ut eodem lavacro regenerationis, et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur, atque sanentur, non solum peccata, quae omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam, quae posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrhauntur: non ut Baptisma quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso, quod semel datur, fit, ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Nunquid clarius adstruere poterat tantus Doctor unitatem Baptismi, et Poenitentiae Sacramenti?

℞. Poenitentia duplex distinquitur, alia scilicet est virtus, et alia est Sacramentum (§. 327). Quod in priori sensu accipienda sint objecta verba tam Joannis, quam Actor., res per se patet. Etenim si ex verbis istis homines primum debent poenitentiam agere, et postea baptizari: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*; et Joannes quasi pro distinctivo signo vocat Baptismum poenitentiae; profecto non loquuntur de illa poenitentia, per quam nos dicimus remitti peccata, quae post Baptismum committuntur, et quam ex adductis in probatione luculentissimis scriptu-

rarum testimoniis dicimus verum Sacramentum ab aliis distinctum. Igitur objecta testimonia loquuntur de Poenitentia quatenus est virtus, quae utique in adultis praecedere debet Baptismi ablutionem, ut et nos suo loco diximus.

Ad alterum dicimus, quod Augustinus, et passim alii quoque Patres, referunt Baptismo remissionem omnium peccatorum tanquam causae proximae illorum, quae ante ablutionem commissa fuerunt; et tanquam causae remotae illorum, quae in posterum committuntur. Et jure quidem, quoniam per Baptismum regeneramur, et iterum jus acquirimus ad coelestem gloriam, et quia ipse est janua omnium caeterorum Sacramentorum. Quod vero haec fuerit mens Augustini patet ex quo post objecta verba addit. *Quid enim prodesset vel ante Baptismum poenitentia, nisi Baptismus sequeretur; vel postea, nisi praecederet?*

DISSERTATIO II.

De actibus necessariis in Poenitente.

333. Nonnullos actus in Poenitente requiri quasi materiam Sacramenti Poenitentiae, ut integra, et perfecta absolutio peccatorum haberi possit, scilicet contritionem, confessionem, et satisfactionem, de fide definivit Concilium Tridentinum sess. XIV. can. IV. (§. 326). Quomodo autem esse debeat hujusmodi actus, id est quod in hac disputatione expendemus.

De Contritione

334. Contritio, quae primum locum obtinet inter necessarios actus Poenitentis, definitur ex Concilio Tridentino ib. cap. IV: *Animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero.* Et duplex ipsa distinguitur, perfecta scilicet, quae proprie contritio dicitur, et alia imperfecta, quae appellatur *attritio.* Illa habetur, cum motivum doloris, et detestatio peccati commissi, cum proposito non amplius peccandi, formaliter consistit in Charitate pura, et perfecta erga Deum, ita ut peccator doleat, non propter poenas, in quas incurrit, sed propter offensam Dei summi, et perfectissimi boni. Altera vero est, quae concipitur vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennae, et poenarum metu, si tamen voluntatem iterum peccandi excludat, et cum spe veniae sit conjuncta. Utraque ista contritio dicitur, et est supernaturalis, quia supernaturalis semper est timor, licet in prima sit *filialis*, et in altera sit *servilis*, quia semper homo abstinet a peccato, et dolet de commisso, cum proposito non peccandi de caetero, propter poenas a Deo infligendas; quae omnia pertinent ad ordinem supernaturalem.

335. De utraque sic loquitur Concilium Tridentinum ibidem: *Docet praeterea* (sancta Synodus), *etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, prius quam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilo-*

minus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae, et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae: declarat, non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo Poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit.

336. Duo igitur declarat S. Synodus, scilicet contritionem perfectam reconciliare hominem priusquam Sacramentum actu suscipiatur, sed reconciliationem istam non tribuendam esse contritioni sine Sacramenti voto. II. quod *Attritio*, quae concipitur ex turpitudine peccati, et metu aeternarum poenarum, dum excludit voluntatem peccandi, et spem veniae includit, licet per se non justificet hominem sine Sacramento, tamen non facere illum hypocritam, sed esse donum Dei, quod disponit ad gratiam per Sacramentum obtinendam.

337. Posterior Concilii doctrina de fide est, ut solemniter definitum fuit ib. can. V. (§. 326.) contra Lutherum, qui dicebat, *attritionem*, sive dolorem ex Poenarum metu facere hominem hypocritam, et magis

peccatorem, et etiam contra Quesuellum: et prior est fidei proxima contra Jansenistas, qui negabant, contritionem charitate perfectam siue actuali Sacramenti susceptione posse statim Deo hominem reconciliare. Hic error fuit etiam Baji, qui docuit, peccata simul consistere posse cum perfecta charitate. Quinimo non defuerunt ex Catholicis, qui dixerunt per perfectam charitatem non semper, sed raro sine actuali Sacramento peccata remitti, ut Estius in IV. dist. XVII. §. 2. Sed ut a dogmate incipiamus, sit de fide

PROPOSITIO XXXV.

Contritio, quae concipitur ex gravitate, et Foeditate peccati, amissione aeternae beatitudinis, et metu damnationis aeternae, modo propositum habeat vitae melioris, non facit hominem hypocritam, et magis peccatorem; sed est verus, liber, et utilis dolor, qui praeparat ad gratiam per Poenitentiae Sacramentum accipiendam.

338. *Prob.* I. ex Scripturis. Ille timor non facit hominem hypocritam, neque magis peccatorem, sed est utilis ad salutem, qui in Scripturis proponitur veluti medium ad fugienda peccata, et expostulatur a Sanctis. Sed hujusmodi est dolor, de quo agimus. Et quidem hunc timorem Jonas incutiebat Ninivitis, ut alienaret a viis pessimis: *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur* (Jon. cap. III. v. 4.). Hunc ipsum insinuabat Christus apud Lucam cap. XII v. 5. *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere*

in gehennam, ita dico vobis, hunc timete. Et hunc ipsum enixe rogabat David Psal. CXVIII. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Ergo etc.

339. *Prob.* II. ex traditione, quae est altera nostrae fidei regula. Procul dubio vera Apostolica traditio habetur ex constanti Ecclesiae doctrina, et auctoritate Sanctorum Patrum. Sed bonum esse dolorem, de quo loquimur, constanter docuit Ecclesia, et uniformiter docuerunt Patres. Ergo etc. *Prob. min.* Et quidem quoad Ecclesiam, praeter Concilii Tridentini expositam doctrinam sess. XIV. cap. IV., et definitam ib. can. V. (§. 333 et 335.), evincunt plures propositiones Quesnelli damnatae a Clemente XI., scilicet prop. LX.: *Si solus supplicii timor animat Poenitentiam, quo est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.* LXI.: *Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiae non ducitur.* LXII. *Qui a malo non abstinet, nisi timore poenae, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo.* LXIII. *Timor servilis non sibi repraesentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.* Item declarant duae propositiones damnatae ab Alexandro VIII, scilicet XV. *Timor gehennae non est supernaturalis.* Et XVI. *Attritio, quae gehennae, et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae propter se, non est bonus motus, et supernaturalis.*

340. Quoad Patres vero sufficit pro omnibus Augustinus, quo potissimum Protestantes abutuntur. Itaque S. Doctor Tract. in Joan. cap. XVII. sic scribit. *Opus est ergo, ut intret timor primo, per quem veniat Charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas.* Et

clarius enarr. in Psal. CXXVII n. 4. *Ille timor*, ait, *nondum castus praesentiam* (*Domini*), *et poenas timet. Timore facit quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus est iste timor, utilis est.*

Solvuntur objectiones.

341. Multa opponunt adversarii, et quidem nonnulla ex Scripturis, et multa ex Sanctis Patribus. Ex Scriptura praesertim opponunt verba Joan. in I. Epist. cap. IV. v. 18. *Timor non est in charitate.* Sed, inquiunt, quod non est in charitate, bonum esse non potest. Ergo timor gehennae malus est. Et quidem Apostolus in I. ad Corinth. cap. XIII. v. 2. de se ait: *Si charitatem non habuero, nihil sum.* Ex Ss. Patribus multos adducunt, qui reprobant hunc servilem timorem poenarum, et maxime Augustinum, qui passim, sed praesertim in Epist. CXLV, alias CXLIV. n. 4. scribit: *Inaniter putat victorem se esse peccati, poenae timore non peccat: quia etsi non impletur foris negotium malae cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis.*

℟. Et ad primum dicimus, quod Joannes loquitur de charitate perfecta, quae quidem excludit timorem servilem, et solum agnoscit filialem, et benevolentiae, quae nulli dubium, quod sit longissime melior, et adeo quidem ut cum Ecclesia Catholica (Conc. Trid. Sess. XIV. cap. IV) dicamus, per ipsam, cum voto

tamen Sacramenti, hominem statim iustificari: etenim addit: *Sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor poenam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate.*

Apostolus vero loquitur de merito pro vita aeterna, non vero de dispositione ad justificationem per Poenitentiae Sacramentum, accipiendam: et propterea dicit, quod sine charitate nullum opus sibi prodesset.

Ad Sanctos Patres dicimus, quod saepe quidem reprobant timorem humanum, sive *serviliter servilem*, quo homines exterius tantum abstinent a culpa, sed non ita interiore voluntate: non vero loquuntur de timore supernaturali poenarum, quae a Deo justo judice infliguntur, quo timore homines non solum a culpa abstinent, sed etiam poenitet se peccasse, et meliorem vitam ducere proponunt. Quod in hoc sensu loquutus sit Augustinus patet ex illius verbis a nobis allatis (§. 340) et item ex Sermone LXXVIII, alias XIX n. 10, ubi accurate describit, et damnat timorem servilem; enarr. in psal. CXXIII n. 12 ingeniose repraesentat, et probat timorem supernaturalem, de quo nos loquimur.

PROPOSITIO XXXVI.

Contritio charitate perfecta cum Sacramenti voto. quod in illa includitur, hominem Deo reconciliat, priusquam Sacramentum ipsum Poenitentiae actu suscipiatur.

Haec propositio ut dictum est §. 337 est fidei proxima, et contra Jansenistas, Bajium, et etiam Estium:

et sic probatur I. ex Scripturis. Prov. VIII. v. 17. scriptum est. *Ego diligentes me diligo.* Ergo qui contriti sunt charitate perfecta, diliguntur a Deo; sed soli justi vere diliguntur a Deo. Ergo etc. Item Lucae cap. VII. v. 47. Christus de muliere peccatrice ait Pharisaeo: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et in I. Petri Epist. cap. IV. v. 8 habemus: *Charitas operit multitudinem peccatorum.*

343. *Prob. II.* ex Ss. Patribus, et ex Ecclesiae doctrina. Itaque communiter Ss. Patres hanc docent veritatem: nos duos seligimus, scilicet Chrysostomum, et Sanctum Leonem Magnum. Ille Hom. VII. in Epist. II. ad Timoth. n. 3. scribit: *Sicut ignis in silvam ingressus omnia purgare solet, sic dilectionis fervor, quocumque inciderit, omnia tollit, et excindit . . . ubi charitas est, omnia sublata sunt mala:* et S. Leo in Epist. CVIII. al. LXXXIII cap. IV. *Nullas*, ait, *patitur veniae moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Doctrina autem Ecclesiae patet ex multis Baji propositionibus damnatis a S. Pio V. Gregorio XIII, et Urbano VIII, inter quas LXXI, quae sic se habebat. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.* Sed rem absolvit Concilium Tridentinum in citato cap. IV. sess. XIV. (§. 335.) Concludendum igitur etc.

Solvuntur difficultates.

344. *Ob. I.* Lucae cap. VII., ut in prob. dictum est, Christus in praesenti loquitur de remissione peccatorum, *Remittuntur peccata multa*, et in praeterito de contritione perfecta. *Quoniam dilexit multum.* Ergo non statim mulier ex contritione perfecta justificata fuit, sed postquam absolutionem accepit a Christo Domino. II. Et quidem ita allatum testimonium passim interpretantur Ss. Patres, praesertim Augustinus, qui serm. XCIX. de muliere ista scribit: *Accessit ad Dominum immunda, ut rediret munda; accessit aegra, ut rediret sana.* Sed III. id confirmatur a Concilio Trident. sess. XIII. can. XI. in quo ait: *Statuit, atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario praemittendam esse Confessionem Sacramentalem.* Ergo etc.

℟. Et ad primum dicimus, quod Christus loquens de praesenti, *remittuntur*, locutus est de confirmatione remissionis coram hominibus, non vero coram Deo: et id confirmatur ex quo paulo post iterum Christus ait: *Remittuntur tibi peccata tua.* Nunquid non erant jam remissa? Caeterum nos defendimus, quod contritio charitate perfecta cum Sacramenti voto, quod in illa includitur, illico hominem Deo reconciliat. Unde non impedit, quominus qui ita est contritus, cum potest, sua peccata legitimo Ministro confiteatur, quinimo debet, contra doctrinam Wicleffi damnatam a Concilio

Constantiense. Quod vero in hoc ipso sensu locutus sit Augustinus, et ita etiam multi alii Patres, patet ex ejus verbis, quae in tract. I. in primam Epist. Joan. n. 6., scilicet: *Sola charitas extinquit delicta.*

Quod vero ad Concilium Tridentinum spectat, dicimus, quod ejus doctrina contra Jansenistas, aliosque luculentissime patet ex pluries repetito cap. IV. sess. XIV. Ergo in objecto can. XI. sess. XIII. ita loquitur ad evitandum periculum, ne decepti circa veram contritionem ex charitate perfecta, cum mortali culpa accedamus ad Sanctissimam Eucharistiam. Unde prudentissime sic egit, et jussit, ut habita copia Confessoris, praecedat Sacramentum Poenitentiae, quod quidem in charitate perfecta jam supponitur in voto.

De confessione.

345. De confessione peccatorum facienda legitimo Sacerdoti modo agendo, tria nobis praestanda occurrunt. I. de fide propugnandum est praesertim contra Novatores, qui non veriti sunt appellare Sacramentalem Confessionem cruentissimam carnificinam animarum, et tormentum innocentianum, propugnandum est, inquam, quod Confessio Sacramentalis omnium, et singulorum peccatorum mortalium, quae post Baptismum sunt commissa, est de institutione divina, et ad salutem necessaria. II. de fide pariter contra Montanistas, et Novatores vindicanda est illimitata Ecclesiae potestas remittendi quodvis peccatum rite dispositis, quam a Christo virtute clavium accepit. III. Ut certum contra Janseni-

stas propugnabimus, quod bonum, et utile est frequenter cofiteri peccata venialia. Sit itaque de fide

PROPOSITIO XXXVII.

Confessio Sacramentalis omnium, et singulorum peccatorum mortalium, quorum, post diligentem praemeditationem, habetur memoria, est de jure divino, et ad salutem necessaria. Nec modus secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica semper observavit, ab institutione, et mandato Christi est alienus.

346. *Prob.* Haec propositio, prout exposita est, tota ad fidem pertinet, quia tota continetur in VI., et VII. can. Concilii Tridentini sess XIV. (§. 326). Ipsa autem probatur ex iisdem Scripturae testimoniis, quae attulimus (§. 329); scilicet Joannis cap. XX. v. 21., Matth. cap. XVI. v. 19., et cap. XVIII. v. 18. Quod autem haec Sacerdotum facultas exerceri debeat, praevia Poenitentis manifestatione omnium, et singulorum peccatorum mortalium, quae commisit, invictissime evincitur ex ratione, quam affert Conc. Trident. sess. XIV. cap. V.: scilicet: *Constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a Poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi praecepta, etc.*

*

347. Conf. ex doctrina conformi SS. Patrum tam ex Graecis, quam ex Latinis, et antiquissima Ecclesiae praxi, quae cum necessario derivari debeat ex traditione, et auctoritate ipsiusmet Ecclesiae, est legitima interpres Scripturarum. Itaque, brevitatis causa, duos ex Patribus seligimus, Augustinum ex Latinis, et ex Graecis S. Basilium. Itaque Augustinus saeculo V. (et en dissipata calumnia Novatorum, qui confessionem peccatorum invectam dicunt ab Innocentio III. saec. XIII.), serm. CCCXCIII. ul. Hom. XLI. *de poenitentibus ait: Quia si ad ultimum vitae steterit, nescit si ipsam poenitentiam accipere, ac Deo, et Sacerdoti peccata sua confiteri possit.* Basilius vero saeculo IV in lib. *Moralium* ad interrogationem 288. *Quibus peccata sint aperienda?* respondet: *Peccata iis confiteri necesse est, quibus credita est dispensatio divinorum mysteriorum.* (Et en iterum explosa calumnia Novatorum). Praxis autem Ecclesiae, praeter testimonia antiquissimorum Patrum, patet ex can. II. Concilii Laodiceni, ubi praecipitur, ut Poenitentibus perseverantibus in humilitate confessionis tempus poenitentiae statuatur pro qualitate peccati. Et ex Trullano, seu Quini-sexto, quod can. CII. praecipit Sacerdotibus, *peccati qualitatem considerare, et ejus, qui peccavit, ad confessionem promptum studium, et morbo convenientem offerre medicinam.* Quomodo ista sine confessione in specie peccatorum?

PROPOSITIO XXXVIII.

Nullum peccatum est, quod Ecclesia virtute clavium remittere non possit iis, qui rite sunt dispositi.

348. Haec propositio de fide est contra Montanistas, et Novatianos, quos Ecclesia habuit haereticos ex eo quod, licet non eodem modo, hanc Ecclesiae negabant facultatem. Ipsa vero sic breviter evincitur. Christus faciens Ecclesiae in persona Petri potestatem remittendi peccata, sic sine ulla exceptione ait Matth. cap. XVII. v. 19. *Tibi dabo claves regni Coelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Et sic pariter confirmavit, cum post resurrectionem Joan. cap. XX v. 22 dixit Discipulis. *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur etc.* Ergo sine exceptione pariter illam Ecclesia possidet, quoniam favores potius sunt ampliandi, quam restringendi. Et accedit Ecclesiae possessio, a sui usque initio, et semper constans doctrina SS. Patrum, inter quos S. Ambrosius in lib. I. de *Poenit.* cap. III. n. 10 scribit: *Deus distinctionem non fecit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.*

Solvuntur objectiones.

349. Multa opponi solent ab adversariis contra hanc catholicam thesim, praesertim ex Scripturis. Et I. Chri·

stus ipse Matth. cap. XIII. v. 31. sic loquitur Pharisaeis: *Dico vobis: Omne peccatum, et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro.* Ergo non ad omnia peccata extendi potest Ecclesiae facultas. II. Et id confirmatur ab Apostolo ad Hebraeos cap. VI v. 4: *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste . . . Et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.* Ergo peccatum apostasiae est irremisibile. III. Et adeo quidem, ut Joannes in Epist. I. cap. V. v. 16 distinguens peccatum *non ad mortem* ab illo, quod est *ad mortem*, dicit, pro illo rogandum esse, non vero pro isto. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis.* Ergo dantur peccata, de quibus non fit misericordia, et remissio.

℟. Haec, et alia similia testimonia non intelligenda sunt de defectu potestatis in Ecclesia, aut etiam in ipso Deo remittendi aliqua graviora peccata, sed tantum respectu hominum, qui illa committunt, propterea quod talis est illorum malitia, ut impossibile sit, ast non absolute, et physice, sed secundum ordinariam gratiae legem, et inclinationem hominum, ut resipiscant, et rite disponantur ad Poenitentiae Sacramentum. Et inter caetera ejusmodi est peccatum contra Spiritum Sanctum, scilicet contra intimum sensum, ut

erat illud Pharisaeorum, qui cum in se convicti essent de Sanctitate, et Potestate divina, qua Christus miracula operabatur, et se coelestem medicum probabat missum pro salute hominum, eo magis illum calumniabantur, quasi esset ex patre diabolo. Si ergo respuebant medicum, et ad mortem illum quaerebant, quomodo, via ordinaria, illos poenitere poterat, et sic illorum peccatum remitti? Ita Augustinus lib. I. *Retract.* cap. XIX. Bonavent. in II. distin. 43 dub. I., et aliis.

350. Plura alia hic quaeri solent, praesertim num peccatorum circumstantiae aperiendae sint in confessione, et num utilis sit frequens venialium confessio?

℟. Ad primum afferimus verba Conc. Trident. sess. XIV. cap. V.: *Si erubescat vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat: Colligitur praeterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa nec a Poenitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et poenam, quam oportet, pro illis Poenitentibus imponere. Unde alienum a ratione est docere, circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse; aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem.* Quod si quaeratur, quaenam sint illae circumstantiae, quae peccati speciem mutant? Dicimus, quod sunt illae circumstantiae quibus peccaminosi actus diversis virtutibus opponuntur; et etiam illae, ex quibus maxime augetur peccati malitia.

Ad alterum respondet ipsa Sancta Synodus ibidem: *Venialia, quibus gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte, et utiliter, citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Ergo confessio venialium, licet necessaria non sit ad salutem, sed libera, ipsa tamen recta, et utilis est, et secundum hominum piorum usum. Quinimo et opposita propositio synodi Pistoriensis, quae est XXXIX. ut temeraria damnata fuit a Pio VI. in Constit. *Auctorem fidei*: *Declaratio Synodi* (Pistoriensis) *de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contentibiles reddantur ejusmodi confessiones, temeraria, perniciosa, Sanctorum, ac piorum praxi a S. Concilio Tridentino probatae contraria declaratur, et proscribitur.*

De Satisfactione.

351. Nullam pro integritate Sacramenti Poenitentiae necessariam satisfactionem, quinimo injuriosam esse Christi meritis, error est Protestantium necessario fluens ex erroneo ipsorum principio, quod per Sacramenta non vere, et interius justificamur, sed tegimur tantum justitia Christi, quam per fidem (fiduciam) apprehendimus. Contra, cum Catholicae Ecclesiae doctrina sit, per Poenitentiae Sacramentum remitti quidem totum reatum culpae, ita ut homo redeat in Dei gratiam,

sed non item saltem non semper, tota remittitur poena temporalis, sed dumtaxat aeterna, idcirco si non ad essentiam, ad integritatem tamen Sacramenti Poenitentiae ipsa Catholica Ecclesia requirit satisfactionem, veluti compensationem injuriae Deo pro nostris peccatis illatae.

352. Hanc Ecclesiae Catholicae doctrinam explicat Concilium Tridentinum sess. VI. cap. XIV. dicens: « Unde docendum est, Christiani hominis poenitentiam » post lapsum multo aliam esse a baptisimali; eaque » contineri non modo cessationem a peccatis . . . Verum etiam eorumdem sacramentalem confessionem, » saltem in voto, et suo tempore faciendam, et sa- » cerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per » jejunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritua- » lis vitae exercitia; non quidem pro poena aeterna, » quae vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum » culpa remittitur, sed pro poena temporali, quae, » ut sacrae literae docent, non tota semper, ut in » Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiae Dei, quam » acceperunt, ingrati Spiritum Sanctum contristaverunt.

353. Duo autem, quae ad fidem pertinent, hic contra Protestantes dilucidanda, et propugnanda occurrunt. I. quod non semper in Sacramento Poenitentiae una cum culpa tota remittitur poena temporalis. II., quod possunt, quinimo debent poenitentiae Ministri salutares satisfactiones poenitentibus imponere. Sit ergo de fide

PROPOSITIO XXXIX.

In Sacramento Poenitentiae non semper cum culpa, tota poena remittitur, sed plerumque, absoluta poena aeterna, solvenda remanet temporalis.

354. Hanc propositionem declarat Concilium Tridentinum sess. XIV. cap. VIII. et probat etiam ex Scripturis, et Theologica ratione, dicens: « Sacra Synodus declarat, falsum omnino esse, et a verbo Dei » alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin » universa etiam poena condonetur; perspicua enim, » et illustria in Sacris literis exempla reperiuntur, qui» bus, praeter divinam tradictionem, hic error quam » manifestissime evincitur ». Hic procul dubio S. Synodus loquitur de Abram, cui misericors Deus aeternam poenam remisit, et cum illo omnibus posteris, per Divini Verbi Incarnationem, supernaturalem statum restituere dignatus est; sed tamen temporalibus poenis omnes addixit. Item de David, cui licet Deus omnem dimiserit culpam. « Dominus quoque transtulit peccatum » tuum » (II. Reg. cap. XII. v. 13), tamen non ab omnibus exemit comminatis temporalibus poenis. Et etiam de Maria (Num. cap. XII.), cui licet Deus a Moyse rogatus pepercerit, tamen septem diebus extra castra exclusa fuit. Et pergens Synodus theologica ratione, addit. « Sane et Divinae justitiae ratio exigere » videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui » ante Baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter

» vero qui semel a peccatis, et daemonis servitute » liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scienter » templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contri- » stare non formidaverint: Et Divinam clementiam » decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata » dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora » putantes, veluti injurii, et contumeliosi Spiritui » Sancto, in graviora labamur . . . Magnopere a pec- » cato revocant, et quasi froeno quodam coercent hae » satisfactoriae poenae, cautioresque, et vigilantiores in » futurum Poenitentes efficiunt; medentur quoque pec- » catorum reliquiis ».

355. Sed clarius haec catholica thesis adstruitur ex unanimi doctrina Ss. Patrum. Nonnullos afferimus. Itaque S. Cyprianus in lib. *de lapsis* scribit. *Dominus nostra satisfactione placandus est.* S. Augustinus tract. CXXIV. in Joan. n. 5. *Productior*, inquit, *est poena, quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena.* Non plures afferimus, quoniam ipse Calvinus ultro fatetur, Patres sibi adversari, scribens Instit. lib. III. cap. IV. §. 38. « Dicam » simpliciter, omnes fere Patres, quorum libri extant, » aut hac in parte lapsos esse, aut nimis aspere, et » dure locutos ».

Solvuntur nonnullae difficultates.

256. *Ob.* Isaiae cap. XLIII v. 25. Deus dicit: « Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, » et peccatorum tuorum non recordabor. » Si ita de-

lentur peccata, ut Deus illorum non recordetur, quomodo, poena, licet temporalis, post illorum veniam? Sed si poena est effectus culpae, quomodo haec post illius veniam? Nunquid effectus sine causa? Ast nonne Christus suprabundanter pro nostris peccatis satisfecit Divinae justitiae? Quod si plene satisfecit, unde hoc residuum debiti? Nunquid qui solvit totam culpam, et poenam aeternam non potuit solvere poenam temporalem?

℟. Et quidem ad primum dicimus, quod non aliud in laudato cap. Isaiae Deus significare voluit, nisi quod cum Populo Israelitico non agebat juxta meritum illius, neque Patrum ejusdem, sed favebat, commiserabatur, et parcebat ex sui propria bonitate, *Deleo iniquitates tuas propter me*; scilicet non ex justitia, sed ex mea vera misericordia: *Et peccatorum tuorum non recordabor*: Scilicet non sumam dignam vindictam. Id evincitur ex quo subdit: *Reduc me in memoriam, et judicemur simul: narra si quid habes, ut justificeris.* Ad quid ergo ista contra nostram catholicam thesim? Et eo vel magis ad rem non faciunt, quod non dicit, num absolute, et in omnibus deleat iniquitates, an vero quoad culpam, et ultimam poenam, sed solum non recordabitur, scilicet quod non propterea derelinquit, sed prosequitur habere ut populum suum, sicut ut suos nos dicimus, quod Deus habet ponitentes absolutos, licet aliquam temporalem poenam ob sui bonum illi debeant expiare.

Ad II. concedimus utique, quod infinita sunt Christi merita, ut plene satisfacere possint Divinae justitiae

pro peccatis hominum. Quod autem negamus est, quod absolute, et independenter a nostra cooperatione Christus operari voluerit hominum redemptionem, et salutem. Repugnabat omnino, ut propriis viribus delere potuissemus infinitam culpam peccati mortalis, ac aeternam poenam solveremus: Ergo satisfecit Christus, et poenam istam aeternam condonat per Poenitentiae Sacramentum. Sed nihilominus facere debemus quod est in nostra potestate, et solvere poenam, quam possumus. Quippe, ut non semel diximus, Deus oeconomiam nostrae aeternae salutis non absolute ordinavit, sed dependenter a nostra cooperatione. Et ex inde patet quoque responsio ad III. Scilicet: Christus solvit culpam, et poenam infinitam, quia repugnat omnino, ut id nos efficere possimus. Sed non relaxatur tota poena temporalis, quia id non excedit nostras vires.

PROPOSITIO XL.

Ministri Sacramenti Poenitentiae cum imponunt Poenitentibus salutares poenas non agunt contra finem clavium, neque contra Christi institutionem.

357. Haec propositio est de fide, ut declaravit Concilium Tridentinum sess. XIV. cap. VIII. » Debent » Sacerdotes Domini, quantum spiritus, et prudentia » suggesserit, pro qualitate criminum, et Poenitentium » facultate, salutares, et convenientes satisfactiones » injungere ». Et solemniter definivit ibidem can. XV. (§. 326) Et haec veritas est veluti necessaria conse-

quentia ipsius clavium potestatis. Etenim si ista Ecclesiae, et ipsius Ministrorum facultas est solvendi, atque ligandi, profecto nequit ipsa exerceri, nisi praevio judicio de statu Poenitentis; et propterea poena illi infligenda est juxta numerum, et naturam delictorum. Et si addatur, quod Sacerdos, dum judicis munus exercet, removere quoque debet, ut prudens medicus, causas iterum in futurum in morbum incidendi, quis inde non videt, quod imponere salutares poenas in confessione sit juxta finem clavium, et Christi institutionem? Optime ergo suo more scripsit Doctor Angelicus lib. IV. Cont. Gent. cap. LXXII.: « Quandoque per contritionem amota culpa, et reatu poenae » aeternae soluto, remanet obligatio ad aliquam poe» nam temporalem, ut justitia Dei salvetur, secundum » quam culpa ordinatur per poenam. Cum autem subi» re poenam pro culpa judicium quoddam requirat, » oportet quod poenitens, qui se Christo sanandum » commisit, Christi judicium in taxatione poenae expe» ctet: quod quidem per suos Ministros exhibet Chri» stus, sicut et caetera Sacramenta. »

358. Altera hic se offert examinanda quaestio contra Jansenistas, Quaesnellum, et Synodum Pistoriensem, num scilicet satisfactio praecedere debeat Sacramentalem absolutionem, ut ipsi affirmant. Sed breviter rem expedimus dicendo, quod licet mos antiquus fuerit, ut praecederet poenae satisfactio, tamen cum id non pertineat ad essentiam, sed ad disciplinam, in Ecclesiae potestate est ordinare prout melius videbitur expedire. Hinc merito Syxtus IV. veluti haereticam damnavit do-

ctrinam Petri de Osma, qui dicebat, *Non peracta poenitentia, poenitentes absolvi non debere.* Et eamdem damnarunt Alexander VIII., Clemens XI. contra Quesnellum, et Pius Sextus contra Synodum Pistoriensem.

DISSERTATIO III.

De Poenitentiae Sacramenti Ministro, materia, et forma.

359. Circa Sacramenti Poenitentiae Ministrum primo errarunt Novatores, Waldenses, Wicleffitae, et Hussitae, qui ministros hujus Sacramenti, aeque ac Sacerdotes, fecerunt etiam laicos probos, perinde ac Christus cum in persona Apostolorum Joan. cap. XX. v. 23. dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc, non solis illorum in Sacerdotio successoribus fuerit locutus, sed omnibus fidelibus. Et nostris temporibus, scilicet sub finem saeculi XVIII. fuerunt Aloysius Litta, et Joannes Baptista Guadagnini, aliique, qui dixerunt, Episcopalem approbationem non conferre jurisdictionem, sed dumtaxat testificari Sacerdotum idoneitatem; et item, omnes confessarios vi ordinis, si non licite, valide tamen semper absolvere a quovis casu reservato. Tria ergo nobis praestanda erunt. I. quod soli Sacerdotes sunt Ministri hujus Sacramenti. II. quod ad validam absolutionem, praeter potestatem Ordinis, requiritur in Ministro potestas jurisdictionis. III. quod Episcopi jus habent sibi reservandi aliquos casus, a quibus, excepto mortis articulo, Sacerdotes non possunt valide absolvere. Sit ergo de fide

PROPOSITIO XLI.

Soli Sacerdotes sunt Sacramenti Poenitentiae Ministri.

360. Haec propositio declarata fuit a Concilio Tridentino sess. XIV. cap. VI, ubi Patres sic loquuntur. » Circa ministrum autem hujus Sacramenti (*Poenitentiae*) declarat S. Synodus, falsas esse, et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae » ad alios quosvis homines, praeter Episcopos, et Sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt: » putantes, verba illa domini: Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Coelo: et » quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et » in Coelo . . . ad omnes Christi fideles indifferenter, » et promiscue, contra institutionem hujus Sacramenti » ita fuisse dictas, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata etc. ». Et conformiter definita fuit ibidem can. X. (§. 326).

361. Ipsa autem sic unico brevi ratiocinio demonstratur. Soli Sacerdotes, et praeterea nullus ex laicis, sunt Sacramenti Poenitentiae ministri, si soli Sacerdotes sunt Apostolorum successores in potestate clavium, quam illis Christus tradidit, cum dixit Matth. cap. XVI. *Quaecumque alligaveritis super terram etc.* Et Joan. cap. XX. *Quorum remiseritis peccata etc.* Sed res ita se habet. Et quidem unicus, legitimus, et simul infallibilis Scripturarum interpres est Apostolica di-

vina traditio. Sed nemo dubitavit, neque dubitare potest, quin perpetua Ecclesiae praxis, et conformis doctrina Patrum, unde habemus divinam doctrinam voce traditam, sit, ut de solis Sacerdotibus illa Christi verba sint accipienda. Ergo etc. Non immoramur probare minorem, quoniam nullum contrarium exemplum, nullam oppositam, aut aequivocam alicujus Patris sententiam adducere possunt adversarii.

362. Alter error haereticorum hic esset refellendus, quod scilicet improbi Sacerdotes hanc non habent potestatem ligandi, atque solvendi. Sed quoniam Sacramenta, ut in priori parte dictum est, suam virtutem non recipiunt a Ministris, sed ab illorum auctore Christo; idcirco sufficit repetere priorem partem citati canonis X. Conc. Trident. sess. XIV., in qua anathemate percussit hunc errorem: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, et solvendi non habere . . . anathema sit.*

PROPOSITIO XLII.

Certum est, et fidei proximum, ad validatem Sacramentalis absolutionis, praeter potestatem ordinis necessariam esse potestatem jurisdictionis.

363. *Prob.* Concilium Tridentinum sess. XIV. cap. VII. declarans dicit: « Quoniam igitur natura, et ra-
» tio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos
» dumtaxat feratur: persuasum semper in Ecclesia Dei
» fuit, et verissimum esse Synodus confirmat, nullius

» momenti absolutionem eam esse debere, quam Sa-
» cerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut
» subdelegatam non habet jurisdictionem. » Nulli dubium, quod hic Patres loquuntur de jurisdictione Ecclesiastica, non vero divina, seu ipsius ordinis: secus enim contradictoria in se esset propositio, quoniam hunc sensum redderet: *Sacerdos, qui non habet potestatem ordinis, idest: Sacerdos, qui non est Sacerdos.* Sed et quomodo potestas ordinis dici potest subdelegata, ut dicit Concilium, *aut delegata*? Ergo ex Concilii Tridentini doctrina ad validam absolutionem etc.

364. Sed hanc fuisse mentem Patrum Concilii in dicta declaratione, certam rem facit Pius IV. in constit. *Auctorem fidei*, in qua damnat proposit. XXXVII. Synodi Pistoriensis, scilicet: « Doctrina Synodi, quae
» de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem
» enuntiat, post institutionem dioecesium, et parochia-
» rum conveniens esse, ut quisque judicium exerceat
» super personas sibi subditas sive ratione territorii,
» sive jure quodam personali, propterea quod aliter
» confusio induceretur, et perturbatio; quatenus post
» institutas Dioeceses, et Parochias enuntiat tantum-
» modo, conveniens esse ad praecavendam confusionem,
» ut absolvendi potestas exerceatur super subditos; sic
» intellecta quod ad validum usum hujus potestatis non
» sit necessaria ordinaria, vel subdelegata illa jurisdi-
» ctio, sine qua Tridentinum declarat, nullius momenti
» esse absolutionem a Sacerdote prolatam; falsa, te-
» meraria etc.; » Ergo dicendum, quod certum etc.

PROPOSITIO XLIII.

Episcopi vere, non autem quoad solam externam politiam, jus habent reservandi sibi casus, a quibus, excepto mortis articulo, non potest Sacerdos valide absolvere.

365. De fide est nostra propositio, quoniam opposita damnata fuit a Conc. Trident. sess. XIV. can. XI. (§. 326). Et id jam declaraverat ib. cap. VII. dicens: « Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam, et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur: unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Dioecesi, in aedificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. »

366. Sed ut pressim perstringamus Lutheranos, contra quos laudatum canonem XI. edidit Conc. Trident., sic argumentari licet. Ex verbis, quibus Poenitentiae Sacramentum Christus instituit, per se patet, quod a ministris Sacerdotibus ministrari debet ad modum judi-

cii forensis; scilicet audiendo, et percondendo, et inde vel solvere, vel ligare, vel remittere crimina, vel retinere. *Quodcumque solveris etc. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Sed in judiciis forensibus non omnes causae, sive crimina in eadem curia, et ab iisdem judicibus examinari, et terminari possunt, ita ut nulla sit sententia lata a judicibus inferioribus, si ex lege Principis causa sibi erit reservata. Ergo pariter in re nostra, Summus Pontifex in tota Ecclesia, cujus est Princeps Pastor, et immediatus Christi Vicarius, potest reservare sibi aliquos casus: et sic pariter reservare possunt Episcopi quisque in sua Dioecesi, quia in illa, subordinate semper ad Summum Pontificem, est verus Pastor, et Gubernator.

Solvuntur objectiones.

367. Multa opponi solent a Lutheranis. Sed praecipua sunt. I. Christus conferens Apostolis, et inde illorum in Sacerdotio successoribus, potestatem remittendi peccata, nullam fecit restrictionem, et nullam adhibet Ecclesia in ordinatione Sacerdotum, sed sine reservatione, dixit: *Quorum remiseritis* etc. Ergo ex institutione Divina, super quam nullam Ecclesia habet potestatem, quilibet Sacerdos potest absolvere ab omnibus peccatis. II. Sed dato etiam, quod standum sit can. XI. sess. XIV. Conc. Trident., nullimode tamen inde sequitur, quod Episcopi non possint absolvere a reservatis a summo Pontifice, neque Parochi a reser-

vatis ab Episcopo, quia isti habent potestatem ordinariam, non vero delegatam in suos subditos. III. Et quidem de his non intelligendus est praedictus canon, quoniam ille loquitur de simplici Sacerdote, qui nullam habet jurisdictionem: *Atque* (ait) *ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat.*

℞. Et quidem ad primum, quia Lutheranorum argumentum nimis probat, idcirco, juxta commune proverbium, nihil concludit. Et requidem vera, si ex Divina institutione, et ordinatione nullam restrictionem Sacerdotes agnoscunt suae potestatis absolvendi a quocumque peccato, cur illam quis non exercet independenter a suo Episcopo? Quod si, falso, respondeatur, quod necesse est, ut Sacerdotes declarentur idonei; quaero: et cur qui idonei jam declarati fuere in una Dioecesi, eamdem facultatem non exercent ubique in aliis Dioecesibus? Ergo dicendum, quod ad hanc exercendam facultatem, praeter potestatem Ordinis, necessario requiritur jurisdictio. Sed jurisdictio ampliari, et restringi potest a legitimis superioribus. Ergo Episcopi, qui sunt legitimi superiores, quisque in sua Dioecesi vere etc.

Ad alterum dicimus, quod licet Episcopi, et etiam Parochi ordinariam habeant facultatem, quia tamen conditionate acceperunt, ut quisque subordinate majoribus Superioribus suos regeret subditos, idcirco nec illi absolvere possunt a reservatis summo Pontifici, nec isti a reservatis Episcopo. Ecquis enim non videt, quod secus nullum esset discrimen inter supremum Pastorem, et

Episcopos, et Parochos? Sed qui inde ordo servari posset in Ecclesia Christi? Nonne undique confusio, haereses, schismata?

Ex dictis patet quoque responsio ad III. Quod si Concilium solos nominavit Sacerdotes, id factum est, quia ipsius scopus erat perstringere errorem Lutheranorum, qui negabant Episcopis jus reservandi. Caeterum nimis clare Concilium id expressit ib. cap. VII. (§.365).

De materia, et forma Sacramenti Poenitentiae.

368. Duplex distinguitur materia Sacramenti Poenitentiae, remota scilicet, et proxima. Remota sunt peccata. Et duplex est, *necessaria*, et *libera.* Materia remota *necessaria* sunt omnia peccata mortalia post Baptismum commissa: *libera* autem sunt peccata venialia, et etiam mortalia alias rite confessa. De Materia autem proxima, licet convenit inter Theologos, quod partes Sacramenti Poenitentiae sint *contritio*, *confessio*, et *satisfactio*, tamen non parva de hoc fuit quaestio inter Thomistas, et Scotistas. Thomistae contendebant, tres praedictos actus esse vere dictam materiam proximam, ex qua conficitur Sacramentum. Sed contra Scotistae pro materia proxima censebant absolutionem a Sacerdote Poenitenti impertitam, ea maxime ratione, quia est ritus sensibilis. Sed quia scopus noster est non fovere sed potius extinguere lites, et sola dogmata percurrere, vel saltem utilia, idcirco nihil dicimus de hac quaestione. Quod si quis curiosus est, legat Maldonatum, qui in tract. *de Poenit.* p. III. thesi VII. fuse disserit de hoc argumento.

369. Formam vero hujus Sacramenti esse verba Sacerdotis, *Ego te absolvo a peccatis tuis* conveniunt Theologi omnes. Sed quoniam juxta quosdam Theologos per multa saecula usus obtinuit in Ecclesia Latina formula deprecatoria, et adhuc obtinet in Ecclesia Graeca, idcirco validam dicimus praedictam formam sive indicativo modo proferatur, sive deprecativo, dummodo saltem sensus sit indicativus; quisque autem servare debet suae Ecclesiae praeceptum.

370. Ast magna controversia est inter Catholicos, et Protestantes. Catholici de fide propugnant, formam hujus Sacramenti esse *effectivam*, hoc est vere efficere remissionem peccatorum, quam significat. Protestantes vero suo saepius repetito principio innixi, quod scilicet Sacramenta non proprie producunt gratiam, dicunt, formam Sacramenti Poenitentiae non producere, sed tantum declarare remissionem peccatorum, sive non imputationem ipsorum. Quapropter sit de fide

PROPOSITIO XLIV.

Absolutio Sacramentalis est actus judicialis, non vero nudum Sacerdotis ministerium pronunciandi, et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo credat esse remissa.

371. Haec propositio ad verbum definita fuit a Conc. Trident. sess. XIV. can. XI. (§. 326.). Et sic prob. Christus Poenitentiae Sacramentum instituens, dixit Discipulis Joan. cap. XX. v. 21.: *Sicut misit me Pa-*

ter , et ego mitto vos . . . Accipite Spiritum Sanctum : Quorum remiseritis peccata , remittuntur eis; et quorum retinueritis etc. Ergo Apostoli , et Sacerdotes illorum successores circa absolutionem peccatorum habuerunt missionem a Christo , eodem modo , quo Christus habuit a Patre. Sed Christus non declarabat peccata esse remissa , sed vera auctoritate remittebat. Ergo sic pariter remittunt Sacerdotes. Et quidem si secus , Christus non debuisset dicere , *quorum remiseritis* , quae verba significant auctoritatem proprie , et active remittendi , non vero simplex ministerium declarandi , jam esse remissa. Nec dicant Protestantes , quod haec potestas est vere divina , et convenire non potest hominibus , quia Sacerdotes non illam exercent virtute sibi propria , sed a Christo accepta , quinimo virtute Spiritus Sancti : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata , remittuntur eis* etc. Nec pariter juvat dicere , quod tribunal Sacramenti Poenitentiae est veluti forum civile ; et propterea sicut in hoc judices non habent potestatem absolvendi reos , sed dumtaxat declarandi quinam secundum legem sunt innocentes , et quinam sontes ; ita pariter Sacerdotes , qui sunt judices tribunalis Poenitentiae , non habent potestatem absolvendi reos , sed solum declarandi , quinam secundum legem Divinam sunt innocentes , sive jam a Deo absoluti , et quinam adhuc peccato sunt rei. Etenim Sacerdotes non sunt *meri* judices , sed judices *mixti* ; scilicet potestatem habent recognoscendi , quinam secundum legem sunt dispositi ad absolutionem , quae impertitur in hoc tribunali non rigorosae justitiae sed misericordiae,

et quinam non ita: Et propterea veram delegatam potestatem habent absolvendi: *Quorum remiseritis* etc.

APPENDIX

DE INDULGENTIIS

372. Quoniam, ut dictum est, per Sacramentum Poenitentiae remittitur quidem culpa simul cum poena aeterna, verum, saltem non semper condonatur tota poena temporalis, propterea locum habuerunt indulgentiae. Indulgentia itaque definiri potest per *remissionem poenae temporalis, quae adhuc solvenda remanet post Sacramentalem absolutionem, validam in foro interno coram Deo, factam a legitimo superiore per applicationem thesauri Ecclesiae.* Indulgentia igitur, juxta Ecclesiae Catholicae doctrinam respicit solam poenam temporalem relictam post Sacramentalem absolutionem, quae poena sive in hac, sive in altera vita expiari debet suppositis tamen debitis dispositionibus in subjecto, et vera facultate in concedente. Item, juxta catholicam doctrinam indulgentia non excludit nostras satisfactiones, sed est veluti illarum supplementum. Tandem docet nostra Ecclesia, indulgentiam non solum esse relaxationem in foro externo Poenitentiae per canones praescriptae; sed valere etiam in foro interno coram Deo ad remissionem vel totalem, vel partialem poenae temporalis, quae expianda remansit post Sacramentalem absolutionem.

373. Facultatem concedendi indulgentias Ecclesiae denegarunt Waldenses, Wicleffitae, et Lutherani, cum Calvinistis, et etiam Jansenistae. Et abhorret referre quas, et quantas calumnias contra Catholicam Ecclesiam protulerint. Sed in hoc theologico munere persolvendo ne limites praetergrediamur simplicis institutionis, pauca summatim attingemus, et quidem juxta nostrum propositum discernendi quae ad fidem pertinent, quae sunt fidei proxima, et quae scolastice inter Catholicos disceptantur: Et haec quidem per brevia quaesita.

374: Q. Quaenam circa indulgentias de fide tenenda sunt?

℟. Duo de fide circa indulgentias tenenda sunt. I. Divinitus Ecclesiae tradita est facultas concedendi indulgentias. II. Indulgentiae usus est maxime salutaris fidelibus. Etenim sic expresse declaratum fuit a Concilio Tridentino sess. XXV. cap. XXI. in decreto *de Indulgentiis*, ubi ait: « Cum potestas conferendi indul-» gentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque hujus-» modi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis et-» iam temporibus illa usa fuerit, Sacrosancta Synodus » Indulgentiarum usum Christiano populo maxime sa-» lutarem, et Sacrorum Conciliorum auctoritate proba-» tum, in Ecclesia retinendum esse docet, et praeci-» pit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse » asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem » esse negant ».

375. Q. Quaenam, si non de fide, tamen fidei proxima tenenda sunt circa Indulgentias?

℟. Tria de Indulgentiis veluti fidei proxima tenenda

sunt. I. Quod per Indulgentias non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo, relaxantur fidelibus poenae, quae illis debentur pro peccatis per Poenitentiae Sacramentum remissis. II. Quod Indulgentiae applicari possint, et per modum suffragii valent animabus in Purgatorio detentis. III. Quod est in Ecclesia thesaurum meritorum Christi, et Sanctorum, cujus dispensatio ad Ecclesiam pertinet. Et ad primum quod spectat habemus articulum XIX. Lutheri damnatum a Leone X., in quo oppositum asserebatur, scilicet: *Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam.* Et item ex prop. XL. Synodi Pistoriensis a Pio VI. in Const. *Auctorem Fidei* proscripta ut falsa, temeraria, et Christi meritis injuriosa, in qua asserebatur, « Indulgentiam secundum » suam praecisam notionem aliud non esse, quam re- » missionem partis ejus poenitentiae, quae per canones » statuta erat peccanti ». Quoties tamen accipiatur in hoc sensu, scilicet: « Quasi indulgentia praeter nudam » remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad » remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus » debitae apud Divinam justitiam ».

Quoad alterum, idem Pius VI. in eadem const. *Auctorem fidei* damnavit propositionem XLII. Synodi Pistoriensis: *Item in eo quod superaddit* (Synodus), *luctuosius adhuc esse, quod chimerica isthaec applicatio transferri solita sit in defunctos.* Haec propositio declaratur: *falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim,*

et sensum universalis Ecclesiae injuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum. Et similiter damnavit propositionem XLIII., scilicet: *In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata* etc.

Tandem, dari in Ecclesia thesaurum indulgentiarum ex meritis Christi, et Sanctorum, evincitur ex Prop. XL. Baji damnata a S. Pio V., et Gregorio XIII., quae sic se habebat: « Per passiones Sanctorum in in- » dulgentiis communicatas non proprie redimuntur no- » stra delicta, sed per communionem charitatis nobis » eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui » pretio Sanguinis Christi, ac poenis pro peccatis de- » bitis liberemur ». Et item a prop. XLI. Synodi Pistoriensis damnata a Pio VI., in qua asserebatur: » Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesau- » rum male intellectum meritorum Christi, et Sancto- » rum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica » substituisse confusam, et falsam applicationis merito- » rum, quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat in- » dulgentias, non sint merita Christi, et Sanctorum. » Haec propositio damnata fuit ut falsa, temeraria, Christi, et Sanctorum meritis injuriosa, et dudum in art. XVII. Lutheri damnata.

376. *Q.* Quaenam sunt illa, de quibus, salva charitate, disputari solent inter Theologos?

℟. Plura sunt, ex quibus alia spectant indulgentias ipsas, alia concedentem et alia suscipientes.

377. *Q.* Quid notandum circa indulgentias ipsas?

℟. Circa indulgentiarum naturam notandum, quod aliae sunt *plenariae*, aliae *partialiae*. Indulgentiae dicitur plenaria, si ex natura sua remittit totam poenam temporalem pro peccatis rite confessis, quae virtute clavium relaxari potest. Est autem partialis, si partem ejusdem temporalis poenae remittit, quae exprimitur certo numero dierum, vel annorum.

378. Quinam indulgentias dispensare possunt?

℟. Nulli dubium, quin summus Pontifex, utpote totius Ecclesiae caput, quascumque indulgentias et partiales, et plenarias omnibus Christifidelibus dispensare possit. Haec autem facultas a generale Concilio Lateranensi IV. celebrato sub Innocentio limitata fuit Episcopis pro suis Dioecesibus, ut scilicet illorum indulgentia in dedicatione Ecclesiarum non extendatur ultra annum et in aliis casibus non ultra quadraginta dies.

370. *Q*. Quid dicendum de subjecto indulgentiarum?

℟. Subjectum indulgentiarum sunt omnes Christifideles non solum qui adhuc peregrinantur, sed etiam qui in charitate sunt defuncti. Cum hoc tamen discrimine, quod viventes, si nihil obstat tam ex parte dantis, quam ex parte recipientis, et etiam ex parte causae, certe et infallibiliter assequuntur effectum, quoniam indulgentiae sunt *juridicae absolutiones et relaxationes*, quae sunt in potestate clavium. Ast defuncti, quia non sunt sub potestate Ecclesiae sed sub solius Dei dominio indulgentiae pro illis ab Ecclesia conceduntur per modum *suffragii*, *precationis*, *et oblationis*; et propterea non ita certo indulgentiarum effectum assequuntur. Unde S. Thomas in supplem. q. LXXI. ar. 10.

382. Veritatem Sacramenti Extremae Unctionis negarunt Waldenses, Albigenses, Wicleffus, Lutherus, Calvinus, et alii, ut refert Bellarminus lib. I. *de Extrema Unctione.* Istorum itaque errorem breviter refellere opus est. Sed ut pateat quae sit Ecclesiae Catholicae doctrina, juvat praeponere canones, quos Concilium Tridentinum de hoc Sacramento edidit sess. XIV.

Canon I.

383. Si quis dixerit, extremam Unctionem non esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a Beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, Sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, extremae Unctionis ritum, et usum, quem observat S. Romana Ecclesia, repugnare sententiae Beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.

Canon IV.

Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiae, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremae Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.

384. Quae vero ad hoc Sacramentum pertinent tribus dissertationis brevissime absolvemus. In prima vindicabimus veritatem hujus Sacramenti. In altera breviter dicemus de illius ministro, et subjecto. In tertia brevissime loquemur de ejusdem materia, et forma.

DISSERTATIO I.

De veritate Sacramenti Extremae Unctionis.

385. Multi, ut diximus (§. 382) male senserunt contra Sacramentum extremae Unctionis, sed pessime contra illud scripsit Calvinus *Instit.* lib. IV. cap. XIX. §. 18, ubi vocat Sacramentum fictitium, et hypocrisim histrionum. Contra ipsum itaque, et suos Sectatores sit de fide

PROPOSITIO XLV.

Extrema Unctio est vere, ac proprie dictum Sacramentum a Christo Domino institutum, et a Beato Jacobo Apostolo promulgatum.

386. Haec veritas solemniter definita a Concilio Trident. sess. XIV, can. I. (§. 383) sic primo prob. ex Scripturis. Jacobus Apostolus in sua Epist. cap. V. v. 14 scribit: « Infirmatur quis in vobis? Inducat » Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungen- » tes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei » salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et » si in peccatis sit, remittentur ei ». Hic procul dubio habentur omnia, quae ad veri Sacramenti rationem sunt necessaria. Scilicet collatio gratiae, *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quod si solus Deus est gratiae auctor, solus Deus dicendus institutor, saltem mediate per Apostolos. Sed habemus rem sensibilem, nempe oleum, et orationem Presbyterorum, *inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo etc.* Ergo habemus materiam, formam, et etiam ministrum, secus enim ad quid *presbyteros*, et quidem *Ecclesiae*, et non potius quemcumque presbyterum; sive seniorem? Et id videtur confirmari Marci cap. VI. v. 13.: *Ungebant oleo multos aegrotos, et sanabantur.* Etenim S. Thomas *comment.* in cap. VI. S. Marci quasi unam facit hanc unctionem cum illa Jacobi, dicens: *Quod oleo ungerent* (Aposto-

li) *solus Marcus enarrat. Jacobus autem in Epistola sua canonica similia dicit.*

387. *Prob. II.* ex traditione. Quod autem haec fuerit perpetua Ecclesiae doctrina, et praxis, nec non doctrina Patrum in quovis saeculo, nullimode fas est dubitare. Et quidem ad haec firmanda sufficit auctoritas Conc. Trident. sess. XIV. cap. I. de *Instit. Sacr. Ext. Unct.*, in quo habemus: « Instituta est autem » Sacra haec unctio infirmorum tanquam vere, et pro» prie Sacramentum novi testamenti a Christo Domino » nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Jaco» bum autem Apostolum, ac Domini fratrem, fideli» bus commendatum, ac promulgatum. Infirmatur. . . » Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus » accepta, Ecclesia didicit; docet materiam, formam, » proprium ministrum, et effectum hujus salutaris Sa» cramenti etc. »

388. Et hoc ipsum docuerunt Patres in quovis saeculo. Sic Tertullianus, qui vixit saec. II. lib. I. contra Marcionem. In tertio saeculo Origines hom. II. in Levit. In saec. IV. Sanctus Chrysostomus lib. III. *de Sacerdotio.* Sed pro omnibus sit Augustinus, qui in quinto saeculo, praesertim in serm. CCXV. « Quo» ties, *inquit*, infirmitas aliqua supervenerit, Corpus, » et Sanguinem Christi ille, qui aegrotat, accipit, » et inde corpusculum suum ungat, ut illud, quod » scriptum est, impleatur in eo, *Infirmatur quis in* » *vobis etc.* ».

Solvuntur difficultates.

389. Quae contra nostram Catholicam veritatem objici solent, vel versantur circa Jacobi testimonium, cui unice videtur inniti decretum Concilii Tridentini, quo inter Sacramenta novae legis adnumerata est extrema Unctio; vel ex silentio Sanctorum Patrum, qui de aliis disserendo Sacramentis, prorsus de extrema Unctione tacuerunt. Et quidem contra Jacobi testimonium I. dicunt, quod certi non sumus de canonicitate hujus Epistolae. II. Quod admissa hac canonicitate, non inde sequitur, olei unctionem esse verum Sacramentum, tum quia illam Jacobus insinuat propria auctoritate, et Sacramenta debent habere auctorem Christum; cum etiam quia Jacobi unctio, saltem primario, respicit bonum temporale, nempe salutem corporis, et Sacramenta ordinata sunt ad salutem animae.

℟. Et quidem quod spectat ad Jacobi testimonium, primo dicimus, quod suo loco, cum in lib. II. sermo fuit de Sacra Scriptura, satis demonstratum fuit, hanc Epistolam esse vere canonicam, et quod Protestantes ideo rejiciunt, quia illa totum evertit suum systema, quod scilicet non sunt necessaria nostra bona opera pro assequenda vita aeterna. Et item canonicam esse declarat Concilium Tridentinum tam in adducto cap. I. sess. XIV. (§. 387.), quam in decreto de Scripturis Canonicis. Et ad Ecclesiam, non vero ad privatos spectat ferre judicium de canonicitate, et sensu Sacrarum Scripturarum.

*

Ad II., Jacobus non ipse propria auctoritate instituit hanc olei unctionem pro infirmis, sed a Christo institutam fidelibus commendavit, et promulgavit. Ita Conc. Trident. in adducto cap. I. sess. XIV. (387.)

Ad III. dicimus, quod duplex est effectus hujus Sacramenti, gratia scilicet pro salute animae, quae aperte designatur per verba, *et si in peccatis sit, remittuntur ei*, et salus corporalis, quae includit etiam salutem animae, sive quia alleviando infirmum, facilius ille resistet tentationibus Daemonis, sive quia, ut docet Catholica Ecclesia, salus corporis confertur, si animae saluti erit expediens.

Tandem ad Patres dicimus, quod si non omnes verba faciunt de Sacramento Extremae Unctionis, causa fuit quia talis non erat illorum scopus, ut scilicet de omnibus loquerentur. Unde sicut illorum silentium non officit veritati aliorum Sacramentorum, sic negativum istud argumentum, et quidem non omnium, nihil valet contra nostram thesim, praesertim cum confirmetur testimonio positivo aliorum.

DISSERTATIO II.

De ministro, et subjecto Sacramenti Extremae Unctionis.

390. Calvinus etymologice accipiens vocabulum *Presbyteros* ab Apostolo Jacobo usurpatum, *inducat Presbyteros*, dixit, ministrum Extremae Unctionis esse quemlibet aetate provectum, scilicet seniorem, non au-

tem Presbyteros dignitate Ecclesiastica, scilicet Sacerdotes. Et haereticus Bosnagius in *Annalibus politico-ecclesiasticis* contendit, olim hoc Sacramentum fuisse administratum etiam a Diaconis, et a laicis quoque in casu necessitatis. Sed cum Ecclesia Catholica nos propugnamus, solos Sacerdotes esse hujus Sacramenti ministros. Et propterea sit de fide

PROPOSITIO XLVI.

Presbyteri Ecclesiae, quos Jacobus Apostolus hortatur vocandos ad ungendum infirmum, non sunt quivis aetate seniores, sed soli Sacerdotes ab Episcopo ordinati.

391. Veritas hujus propositionis, quae solemniter definita fuit a Con. Trident. sess. XIV. can. IV. *de Sacr. Ext. Unct.*, per se patet. I. Ex quo Presbyteri, qui ex Apost. Jacobo ungere debent, debent quoque orare, et illorum oratio salvabit infirmum, cui et remittuntur quoque peccata, *et si in peccatis erit, remittentur ei.* Sed nusquam in Scripturis legitur munus remittendi peccata commissum laicis, sed solis Sacerdotibus. Ergo Presbyteri, de quibus loquitur Jacobus, sunt Sacerdotes. II. Ut supra demonstratum est, extrema Unctio est verum novae legis Sacramentum. Sed Sacramentorum Ministri, si Baptismum excipias in casu necessitatis, quoniam absolute necessarium est necessitate medii, et etiam Sacramentum Matrimonii, de quo est controversia, sunt soli Sacerdotes. Ergo etc. III. Nus-

quam in Ecclesia sive Latina, sive Graeca Extrema Unctio ministrata fuit per laicos, sed semper modo per unum solum, modo per plures simul Sacerdotes. Ergo ex tradictione habemus, solos Sacerdotes esse ministros hujus Sacramenti.

392. Quoad vero subjectum hujus Sacramenti Dallaeus contendit, hoc Sacramentum omnibus ministrari posse etiam infantibus, et benevalentibus. Sed convenit inter Theologos omnes, quod ministrari debet solis adultis, et his gravi morbo laborantibus. Et cum haec semper fuerit Ecclesiae praxis, non alienum est a veritate, si dicamus, quod ita docemur a vera traditione. De infirmis sic loquuntur Patres Conc. Trident. sess. XIV. cap. III. « Declaratur etiam esse hanc unctionem » infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam » periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti » videantur, unde et Sacramentum exeuntium nuncupa» tur ». Id docuerunt etiam Gregorius Magnus in Sacramentario, et Eugenius IV. in decreto pro instruct. Armen.

393. Verum tamen, quod haec non ita accipienda sunt, ut in extremis veris hoc Sacramentum administrari debeat. Audiendus est hac in re Catechismus Rom. p. II. cap. V. §. 9: *In quo tamen*, ait, *gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita, et sensibus carere incipiat. Constat enim, ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si aegrotus, cum in eo adhuc integra mens, et ratio viget, fidemque, et religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur.*

394. Quinam ergo a susceptione hujus Sacramenti sunt excipiendi?

℟. Quinam excipiendi sint, declarat idem Catechismus Rom. ibidem, dicens: « Nemini igitur, qui gra» vi morbo affectus non sit, Sacramentum Unctionis » dare licet, tametsi vitae periculum adeat, vel quia » periculosam navigationem paret, vel quia praelium » initurus sit, a quo illi certa mors impendat, vel et» iam si capitis damnatus ad supplicium raperetur. Om» nes praeterea, qui rationis usu carent, ad hoc Sacra» mentum suscipiendum apti non sunt: et pueri, qui » nulla peccata admiserunt, quorum reliquias sanare » hujus Sacramenti remedio opus sit: amentes item, » et furiosi, nisi interdum rationis usum haberent, et » eo potissimum tempore pii animi significationem da» rent, peterentque, ut sacro oleo ungerentur etc. »

395. *Q.* Num, et quando, licet hoc Sacramentum repetere?

℟. Respondemus cum Patribus Synodi Tridentinae in saepe laudata sess. XIV. cap. III.: *Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.*

DISPUTATIO III.

De materia, et forma Sacramenti Extremae Unctionis.

396. Materiam remotam, ut dici solet, hujus Sacramenti esse oleum commune, idest ex olivis, aper-

tissime constat ex verbis Apostoli Jacobi : *Ungentes eum oleo in nomine Domini.* Et hoc quidem oleo semper usi sunt Graeci, et Latini, ut habemus ex illorum Euchologiis, et ex ritualibus istorum.

397. *Q.* Debet ne oleum ab Episcopo consecrari? Et quo praecepto, Divino ne, an vero Ecclesiastico consecrari debet ab Episcopo?

℟. Quod oleum consecrari debeat ab Episcopo, habemus ex Conc. Trident. sess. XIV. cap. I. *de Extrem. Unct.* : *Ex Apostolica traditione per manus accepta . . . intellexit Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.* Num vero benedictio isthaec ad Episcopum spectet ex praecepto Divino, an vero Ecclesiastico, dicimus, videri probabilius esse ex praecepto Ecclesiastico. I. Quia Apostolus Jacobus promulgator hujus Sacramenti simpliciter dicit : *Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* II. Quia traditio non contradicit, tum quia certum est ab omni retro aetate Graecos Sacerdotes consuevisse benedicere oleum infirmorum, quin unquam nostra Ecclesia illos objurgaverit, cum etiam quia Benedictus XIV. *de Syn. Dioeces.* observat, hunc ipsum oleum ex expressa, vel tacita Summi Pontificis concessione confici posse a simplici Sacerdote. Sed nihilominus quia agitur de Sacramento, dicimus, tenendam esse partem tutiorem.

398. *Q.* Quaenam partes corporis infirmorum ungendae sunt?

℟. Quoad unctionem ipsam, quae est materia proxima, dicimus, variam esse Ecclesiarum consuetudinem,

id quod indicat, non officere Sacramenti essentiae si una tantum pars ungatur, ut praescribitur fieri, si vera necessitas urgeat, et id cum formula universali: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus.* Sed tamen quisque servare debet suum ritualem, praesertim juxta diversitatem sexus.

399. Quoad formam vero Extremae Unctionis non una semper fuit in Ecclesia, et quidem modo fuit verbis deprecativis, et modo affirmativis. Verbis affirmativis erat illa Ambrosiana in Ecclesia Latina: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut more militis uncti, praeparatus ad certamen aereas possis superare Potestates.* Et modo est deprecativa, scilicet: *Per istam Sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum ... odoratum ... gustum. ... tactum, auditum* etc. Forma autem Graecorum est pariter deprecativa: *Pater Sancte, sana servum tuum: vivifica illum per Christi tui gratiam.*

CAPUT VI.

De Sacramento Ordinis.

400. Ordinis vocabulum, quod proprie significat consensum in varietate, seu aptam dispositionem plurium ad aliquem finem assequendum, modo a nobis accipitur pro sacra actione qua aliquis in Christi Ecclesia constituitur Divini cultus Minister. Et propterea commode definiri potest: *Ritus, seu Sacramentum novae*

legis a Christo Domino institutum, quo spiritualis potestas traditur Sacramenta conficiendi, et ministrandi, caeteraque Ecclesiastica munia proprio jure exercendi. Nec officit, quod de hac definitione, quae bene quadrat cum etymologia nominis, ut cuique patet, non convenit inter nos, et Novatores, qui negant, hunc ritum, seu Sacram Ordinationem esse verum novae legis Sacramentum. Etenim inservit ad patefaciendam Catholicam doctrinam, quam utique vindicare debemus, praesertim adversus Calvinistas.

401. Itaque Catholicae Ecclesiae doctrina est, Sacram Ordinationem esse veri nominis Sacramentum, quo gratia confertur, indelebilis character imprimitur, et tribuitur potestas docendi, conficiendi, atque administrandi Sacramenta. Novatores contra, si Anglicanos excipias, dicunt, Ordinationem istam non esse, nisi nudam caeremoniam, qua a Principibus, aut Magistratibus declaratur, sacrum munus alicui committi, nec non stipendium assignari.

402. Contra istos ergo agentes I. vindicabimus veritatem Sacramenti Ordinis. II. verba faciemus de multiplici ordinum numero, sive de Hierarchia Ecclesiastica. III. de materia, forma, subjecto, et Ministro hujus Sacramenti. Et tandem pro appendice aliqua dicemus de irregularitatibus. Sed prius necesse est exponantur dogmata, quae de hoc Sacramento definivit Concilium Tridentinum sess. XXIII.

Canon I.

Si quis dixerit, non esse in novo testamento Sacerdotium visibile, et externum: vel non esse potestatem aliquam consecrandi, et offerendi verum Corpus, et Sanguinem Domini, et peccata remittendi, et retinendi; sed officium tantum, et nudum ministerium praedicandi Evangelium; vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse Sacerdotes; anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines et majores, et minores, per quos, veluti per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur; anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, Ordinem, sive Sacram Ordinationem non esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum; vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi Ministros verbi Dei, et Sacramentorum; anathema sit.

Canon IV.

Si quis dixerit, per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere

Accipe Spiritum Sanctum; aut per eam non imprimi characterem; aut eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit, Sacram Unctionem, qua Ecclesia in Sancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam, et perniciosam esse; similiter et alias Ordinis caeremonias; anathema sit.

Canon VI.

Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris; anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos, sine populi, vel potestatis saecularis consensu, aut vocatione, irritos esse; aut eos, qui nec ab Ecclesiastica, et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi Dei, et Sacramentorum Ministros; anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, et veros Episcopos, sed figmentum; anathema sit.

DISPUTATIO I.

De veritate Sacramenti Ordinis.

403. De veritate Sacramenti Ordinis sic loquuntur Patres Conc. Trident. sess. XXIII., quae est VII. sub Pio IV. cap. I. « Sacrificium, et Sacerdotium ita » Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni » lege extiterit. Cum igitur in novo Testamento SS. » Eucharistiae Sacrificium visibile ex Domini institutio- » ne Catholica Ecclesia acceperit; fateri etiam opor- » tet, in ea novum esse visibile, et externum Sa- » cerdotium, in quo vetus translatum est. Hoc ab » eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, at- » que Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdo- » tio, potestatem traditam consecrandi, offerendi, et » ministrandi Corpus, et Sanguinem ejus, nec non et » peccata dimittendi, et retinendi, Sacrae litterae osten- » dunt, et Catholicae Ecclesiae traditio semper docuit.» Et idipsum expresse definivit can. I. quinimo et can. III. definivit quoque, Ordinem, sive Sacram Ordinationem esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum (402.). Ergo de fide est sequens.

PROPOSITIO XLVII.

Ordo, sive sacra Ordinatio est verum, et proprie dictum Sacramentum a Christo institutum.

404. *Prob. I.* ex Scripturis. Apostolus in I. ad Timoth. cap. IV. v. 14: « Noli, *inquit*, negligere » gratiam, quae in te est, quae data est tibi per pro» phetiam cum impositione manuum presbyterii.» Et item in II. Epist. ad eumdem scribit: « Admoneo te, ut » resuscites gratiam Dei, quae est in te per imposi» tionem manuum mearum ». In his locis Apostolum loqui de ordinatione Timothei, quam ab ipso acceperat, nullus sane in dubium revocabit, nec potest revocare. Sed in illis habemus ritum sensibilem, manuum scilicet impositionem, collationem gratiae, et etiam permanentis, *quae in te est. Ut resuscites gratiam Dei, quae est in te.* Sed habemus quoque divinam institutionem, quia solus Deus est auctor gratiae, et ipse solus potest sensibili signo gratiae collationem unire. Ergo habemus illa tria, quae, ipsis fatentibus adversariis, requiruntur ad vere, et proprie dictum Sacramentum.

405. *Prob. II.* ex Divina Apostolica traditione, quae constat ex perpetua, et universali Ecclesiae praxi a suis usque primordiis, et ex auctoritate Conciliorum tum generalium, uti fuit Chalcedonense can. II., ubi statuit: *Si quis Episcopus propter pecuniam ordinationem fecerit, et non venalem gratiam vendiderit... de proprio gradu in perciulum veniat;* Et Nicaenum II.

can. V.: cum particularia innumera. Et item ex communi doctrina Sanctorum Patrum. Ex quibus Leo Magnus in Epist. XII. ad Episcopum provinciae Muritanae cap. III., et Gregorius item Magnus lib. IV. in primum Reg. cap. V. n. 1., quasi per antonomasiam Sacram Ordinationem appellant Sacramentum. Sed brevitatis causa omissis omnibus, audiamus Hieronymum, et Augustinum, qui non solum Ordinationem appellant Sacramentum, sed etiam cum Baptismo illud comparantes, repeti non posse dicunt. Sic ille in Dialogo adversus Luciferianos n. 11.: *Si in fide sua*, ait, *baptizato baptizans nocere non potest, ut in fide sua Sacerdotem constitutum constituens non inquinavit.* Et Augustinus in lib. II. n. 28 contra Epistolam Parmeniani scribit: « Nulla ostenditur causa, cur ille, qui » ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi » potest amittere: Utrumque enim Sacramentum est, » et quadam consecratione utrumque homini datur; illud » cum baptizatur, istud cum ordinatur ».

Solvuntur objectiones.

406. Innumera ferme Heterodoxi opponunt contra hanc nostram Catholicam thesim. Sed pauca afferimus ex Scripturis. Itaque primo conantur evincere, quod ex impositione manuum, de qua Apostolus loquitur ad Timoth., et qua Catholici utuntur pro sua causa, nihil deduci potest pro veritate Sacramenti Ordinis. Et quidem I. Usus impositionis manuum familiaris erat apud Apostolos, praesertim cum Deum orabant. Ergo

nihil inde deduci fas est pro vera gratia Sacramentali Ordinis. II. Et quidem gratia, de qua loquitur Apostolus, non est gratia *gratum faciens*, sive Sacramentalis, sed potius gratia *gratis data*, ait enim: *Quae data est tibi per prophetiam.* III. Sed conclusio Pauli prorsus excludit doctrinam Catholicorum: Etenim dicit, quod Timoth. illam gratiam acceperat *impositione manuum presbyterii*, et Catholici tenent, Ministrum Sacramenti Ordinis esse solum Episcopum. Ergo ex illo Pauli testimonio nihil pro sua causa deducere possunt Catholici. IV. Quinimo Scriptura manifeste adversatur doctrinae Catholicorum. Etenim S. Petrus in I. Epistola cap. II. v. 9. omnibus fidelibus dicit convenire Sacerdotium: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium.* Et clarius Joannes in Apocalypsi cap. I. v. 5 de Christo ait: *Qui dilexit nos . . . Et fecit nos regnum, et Sacerdotes Deo, et Patri suo.* Ergo omnes fideles sunt Sacerdotes.

℟. Et ad primum, etsi concedatur, manuum impositionem fuisse familiarem apud Apostolos, non inde sequitur, non potuisse quoque esse signum veri Sacramenti, sicut revera fuit illa, de qua loquimur, quoniam Apostolus dicit, per impositionem suarum manuum gratiam Timotheo collatam fuisse, quod est proprium veri Sacramenti: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.*

Ad II. dicimus, quod Sacra Ordinatio confert quidem, ut est Sacramentum, gratiam sanctificantem, sive *gratum facientem*, et etiam *gratiam gratis da-*

tam, quia poterat etiam conferre gratiam miraculorum, et quia etiam ipsa gratia sanctificans datur suscipienti Sacramentum Ordinis in bonum totius Ecclesiae sive omnium fidelium, quia in bonum commune est utraque Sacerdotalis potestas, super physicum scilicet, et super morale Christi Corpus. Ast verba *per prophetiam* non ita interpretanda sunt, quasi per impositionem manuum Apostoli Timotheo data sit gratia prophetizandi, sed potius de prophetia, sive revelatione facta Paulo, ut manus imponeret Timotheo, et Episcopum consecraret, juxta quod in eadem Epist. I. cap. I. v. 18. ad eumdem dixerat: *Hoc praeceptum commendo tibi, Filii Timothee, secundum praecedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.* (Jacob. Tirin. in hunc loc.)

Ad III. Timotheus per impositionem manuum, de qua loquitur Apostolus, non ordinatus fuit simplex Sacerdos, sed Episcopus, et ad Episcopi Ordinationem, ut habemus ex Apostolica traditione, ut minimum requiruntur tres Episcopi: Ergo nomine *Presbyteri*, seu Presbyterii intelligere debemus non simplices Sacerdotes sed Sacerdotes majores, sive Episcopos. Et quidem nonne illa manuum impositio facta fuerat ab Apostolo? Nunquid simplex Sacerdos Paulus, aut mendax, cum dixit: *Per impositionem manuum mearum?* Optime ergo S. Chrysostomus Hom. in hunc locum: *Non de Presbyteris*, ait, *hic loquitur*, *sed de Episcopis; neque enim Presbyteri Episcopum ordinabant.*

Tandem ad verba Apostoli Petri, et Joannis dicimus, quod intelligenda sunt de regno, et Sacerdotio spirituali, et mystico, non vero de proprie dicto. Et quidem,

si secus, quidam de populo non solum esset Sacerdos, sed etiam rex: *Regale Sacerdotium. Fecit nos regnum, et Sacerdotes.* Unde Ambrosius lib. IV. *de Sacerd.* cap. I. *Unusquisque*, ait, *ungitur Sacerdotio in regnum: Sed spirituale regnum est Sacerdotium.* Et S. Augustinus lib. X. *de Civit.* cap. X. « Erunt, *inquit*, Sacerdotes Dei, et Christi, et re-
» gnabunt cum eo mille annis; non utique de solis Epi-
» scopis, et Presbyteris dictum est, qui proprie jam
» vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Chri-
» stianos dicimus propter mysticum Chrisma, sic omnes
» Sacerdotes, quoniam membra sunt hujus Sacerdotis,
» de quibus Apostolus Petrus: Plebs sancta, regale Sa-
» cerdotium.

DISSERTATIO II.

De multiplici ordinum numero, sive de Hierarchia Ecclesiastica.

407. Dari in Christi Ecclesia multiplicem numerum ordinum, et inde Ecclesiasticam Hierarchiam, communis doctrina est Occidentalis, et Orientalis Ecclesiae. Etenim quae mirifice in illa docuit Dionysius, eadem tradidit Chrysostomus, et Basylius in suis liturgiis: Et quod Gregorius Magnus in suo Sacramentario, idipsum Concilium III., et IV. Carthaginense. Et id de fide tandem decrevit Concilium Tridentinum sess. XXIII. can. VI. (§. 402), ubi tribus gradibus constare dicit, Episcopis, Presbyteris, et Ministris.

408. De Episcopatu, qui est primus gradus, ita loquitur idem Concilium ib. cap. IV: « Sancta Synodus » declarat, praeter caeteros Ecclesiasticos gradus, Epi» scopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad » hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et » positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto » regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores » esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Mi» nistros Ecclesiae ordinare, atque alia pleraque pera» gere ipsos posse, quarum functionum potestatem re» liqui inferioris ordinis nullam habent ».

409. Quivis autem gradus suos pariter subordinatos gradus habet. Sic in primo Episcopatus gradu est Summus Pontifex, de quo suo loco in II. lib. diximus, quod ex jure divino est legitimus Petri successor, et idcirco primatum habet in Ecclesiam universam, cujus est supremus Pastor. In II. reponuntur Patriarchae, qui praesunt Primatibus, et Metropolitanis. III. sequuntur Primates, qui sunt Patriarchis inferiores, sed superiores Metropolitanis, ut habemus ex canone II. Conc. Constant. IV: succedunt Metropolitani, qui praesunt Episcopis. Et tandem Episcopi, qui praesunt Presbyteris alicujus Dioecesis.

410. Secundus Hierarchiae gradus, qui est Presbyteratus, suos item habet gradus, qui sunt Chorepiscopi, Episcoporum vicarii Generales, Canonici, et Parochi. Chorepiscopi, alio nomine *Episcopi villani*, seu *Vicani*, aut *Oppidani*, quia in villis, et oppidis vices agebant Episcoporum, ut habemus ex can. XIII. Concilii Ancyrani, conferebant quatuor Ordines minores,

et licet modo Episcopali dignitate fuerint insigniti, et modo solo Presbyteratu, certum tamen videtur, quod ordinario non fuerint, nisi Episcoporum adjutores, Ministri, ac Vicarii, uti sunt apud nos Vicarii *Foranei*. Vicarii Generales munere Episcoporum funguntur pro regimine Dioecesis. Canonici inserviunt decantando Divino officio. Et Parochi dato numero fidelium praesunt, illisque Sacramenta ministrant, excepta tamen Confirmatione, et Ordine.

411. Tertius gradus est Ministrorum. Inter hos primum locum obtinent Diaconi, qui ex officio in Sacrificio Missae immediate ministrant Celebranti, et decantant Evangelium. Et inde sequuntur Subdiaconi, qui simul cum Diacono in Altare inserviunt Sacerdoti, et canunt Epistolam. Alii dicuntur Ministri minores. Et sunt Acolythi, qui ministrant Subdiacono urceolos cum vino, et aqua; Lectores, qui ex officio legunt Sacram Scripturam; Exorcistae, qui facultate exorcizandi praediti sunt; et tandem Ostiarii, quorum munus est claudere, et aperire Januas Ecclesiae, et ab illa ejicere prophanos. Tonsura non est ordo, sed veluti dispositio ad Ordines.

412. Plures de quovis gradu agitantur quaestiones, et quidem inter Catholicos, et Haereticos, et inter ipsos quoque Catholicos. Nos, rejectis inutilibus, breviter agemus de illis, quae vel ad fidem pertinent, vel ut certae habentur a nostris Theologis. Et quidem ut a primo Hierarchiae gradu incipiamus, magnam habemus controversiam contra Presbyterianos, qui renovantes haeresim Aerii, Wicleffitarum, Waldensium dicunt, E-

piscopos aequales esse presbyteris, praesertim in potestate Ordinis. Adversus istos ergo sit

PROPOSITIO XLVIII.

Episcopi sunt Presbyteris superiores; et id quidem tuemur ex jure Divino.

413. Prima pars est de fide, quoniam praecisis verbis definita fuit a Concilio Tridentino sess. XXIII. can. VII. (§. 402). Et de altera nullimode potest dubitari. Et quidem praedictus canon est consequentia declarationis ejusdem Concilii ib. cap. IV.: « Sacrosancta » Synodus declarat, praeter caeteros Ecclesiasticos gra- » dus, Episcopos, qui in Apostolorum locum succes- » serunt ad hunc hierarchicum ordinem praecipue per- » tinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, a » Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presby- » teris superiores esse ». Si ergo Episcopi pertinent ad hierarchicum ordinem, et ex doctrina Apostoli a Spiritu Sancto positi sunt regere Ecclesiam, et propterea ex dicto Concilio certo sunt superiores Presbyteris, quomodo superiores non sunt ex jure divino?

414. Sed sic placet argumentari. Procul dubio, praeter duodecim Apostolos, multi alii ad numerum septuaginta duorum secuti sunt Christum. Et nullus inficiari audebit, non parem potestatem Christum fecisse Apostolis, et his adjunctis Discipulis, et illis, non vero istis dixisse Matth. cap. XIX. v. 28.: *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus*

Israel. Et quidem si par omnibus fuisset potestas, cur prevaricato Juda, Petrus ex Scripturis veteris testamenti docuit, et persuasit, alium in illius locum eligendum esse, sicut de factò per sortem electus fuit Mathias? *Oportet*, sic habemus Act.. cap. I. v. 21., *ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore . . . testem fieri unum ex viris* etc. Quis hic non videt, Petri sermonem fuisse de eligendo uno ex septuaginta duobus ad accipiendam majorem potestatem? Sed in Petri successoribus jure Divino agnoscimus summum Pontificem legitime electum. Ergo jure pariter divinò in Apostolorum successoribus debemus cognoscere solos Episcopos. Sed jure item Divino Apostoli erant superiores caeteris discipulis: Et propterea cum presbyteri sint successores illorum discipulorum, non vero Apostolorum, dicendum, Episcopos esse Presbyteris superiores jure Divino, non vero Ecclesiastico. Sed et id confirmat sequens.

PROPOSITIO XLIX.

Episcopi habent potestatem ordinandi, quae non est illis communis cum Presbyteris.

415. Haec propositio tota ad fidem pertinet, quia utraque pars expresse definita fuit a Conc. Trident. sess. XXIII. can. VII. (§. 402.). Ipsa autem sic probatur ex Scripturis. Et quidem I. legimus in cap. VI. Act. Apost. quod Apostoli, quorum successores sunt Episcopi, et non alii, convocata multitudine, ordina-

verunt septem Diaconos ab illa propositos : *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum , et orantes imposuerunt eis manus.* Et ibidem cap. XIV. v. 22. habemus , quod Paulus cum Barnaba constituerunt Presbyteros per singulas Ecclesias. Item in I. Epist. ad Timoth. cap. III. Apostolus illum utique Episcopum docet , quibus debet imponere manus , sive ordinem conferre. Et ad Titum cap. I. v. 5. scribit : *Hujus rei gratia reliqui te Cretae , ut ea , quae desunt , corrigas , et constituas per civitates Presbyteros , sicut et ego disposui tibi.*

416. *Prob. II.* Sed de hac re nullum dubium relinquit traditio , et Ecclesiae praxis. Etenim constitutiones Apostolicae lib. VIII. cap. XIV. praescribunt , ut Episcopus a duobus , vel tribus Episcopis ordinetur , Presbyter vero ab uno tantum Episcopo , sicut etiam Diaconus , et reliqui ordines. Et haec etiam est communis doctrina Sanctorum Patrum , et adeo quidem , ut S. Athanasius in Apol. contra Arian. n. 12. probabat , Ischiram suum accusatorem non esse Sacerdotem , quia ordinatus non fuerat ab Episcopo , sed a simplici Sacerdote Collutho. Et idipsum invictissime confirmatur a perpetua , et nunquam interrupta praxi Ecclesiae tam Latinae , quam Graecae.

Solvuntur nonnullae objectiones.

417. *Ob.* Concilium Carthaginense IV. statuit , ut : *Cum Presbyter ordinatur , Episcopo eum benedicente , et manum super eum tenente , etiam omnes*

Presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant. II. Et id quidem adhuc servatur apud nos. Ergo potestas ordinandi communis est Episcopis, et Presbyteris. III. Et Theodoretus cum Socrate lib. I. cap. IX. testatur, Concilium Nicaenum potestatem fecisse Presbyteris Catholicis manus imponendi, et proponendi nomina eorum, qui in clericos eligi meruerint.

℟. Impositio manuum Presbyterorum, de qua loquitur Concilium Carthaginense IV., et quae adhuc in usu est, pertinet ad solam caeremoniam, non vero ad rationem Sacramenti. Et quidem Presbyteri, qui cum Episcopo manus imponunt, nullam formam pronuntiant. Impositio autem manuum, quae, ut dicit Theodoretus, a Concilio Nicaeno conceditur Presbyteris Catholicis, non significabat consecrationem, sed electionem, unde subjungit, *proponendi nomina eorum.* Sensus ergo est: *Presbyteri proponebant idoneos, et Episcopi ordinabant.*

418. Ex dictis apparet, quod convenit inter Catholicos omnes adversus Protestantes, Episcopatum tam dignitate, quam munere differre a Presbyteratu, et adeo quidem ut ad diversum hierarchiae gradum pertineant. Ast distinguitur ne etiam ratione ordinis, et Sacramenti, an vero existimari debet veluti extensio unius ordinis, et Sacramenti Presbyteratus?

419. Magna hac de re fuit controversia. Docti Theologi propugnarunt, Episcopatum neque esse Ordinem proprie dictum, neque proinde Sacramentum ab Ordine et Sacramento Presbyteratus distinctum, sed esse

tantum Presbyteratus extensionem, et his adstipulati sunt Scotus, Estius etc. Quinimo et S. Thomas, et S. Bonaventura Ecclesiae Patres, et Doctores. Ille enim in IV. sent. dist. XXIV. quaest. 2. ad quaest. *utrum Episcopatus sit ordo*, respondet: *Episcopatus non est ordo*. Et S. Bonaventura quaest. III. concludit: » Episcopatus proprie non est ordo. *Et in corp. art. dicit*: « Episcopatus prout distinguitur contra Sacerdo- » tium, dicit dignitatem quandam, vel officium Epi- » scopo annexum, et non est proprie nomen ordinis, » nec novus character imprimitur, nec nova potestas » datur, sed potestas data ampliatur. »

420. Ast contra eruditiss., et doctiss. Joann. Perr. in tract. *de Ord.* cap. II. de *mult. ord.* veluti communem nostri temporis oppositam sententiam tenet. Et hisce probat rationibus: « Si ad ordinem, *inquit*, et ad » Sacramentum instituendum ritus externus requiritur, » gratiae collatio, et divina institutio, cum haec o- » mnia, ut ex dictis patet, in Episcopatum concur- » rant, dubitari profecto nequit, quin Episcopatus sit » Ordo, et Sacramentum. Rursum, si ubi distincta ha- » betur materia, forma peculiaris, distincta item, ac » peculiaris confertur potestas, distinctus habetur Ordo » Sacramentalis; cum Episcopatus distinctam habeat ma- » teriam, formam ac potestatem a Presbyteratu, recte » colligitur, ipsum distinctum ordinem esse et Sacra- » mentum. Hinc definiri potest Episcopatus: Ordo su- » premus, et Sacramentum, quo Presbytero potestas » tribuitur conferendi Sacramenta Confirmationis, et Or- » dinis, regendique Ecclesiam sibi commissam. »

421. Et haec quoad primum, et secundum gradum Ecclesiasticae Hierarchiae. Quoad tertium vero, qui constat ex ministris Sacerdote inferioribus, quique sunt veluti gradus, quibus ad Sacerdotium ascenditur, sex ipsi numerantur, scilicet Diaconatus, Subdiaconatus Acolytathus, Lectoratus, Exorcistatus, et Ostiariatus. Et ex his alii dicuntur majores, minores alii. Diaconatum esse, et semper fuisse ordinem majorem, et sacrum cum Latinis conveniunt Graeci. Ast non item de Subdiaconatu. Graeci illum recensent inter ordines minores, et a Latinis nonnisi a saeculo XII. connumerari coepit inter majores, et sacros. Etenim habemus ex Synodo Beneventana celebrata an. 1091 sub Urbano II. can. 1.: *Sacros autem Ordines dicimus Diaconatum, et Presbyteratum: hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse.*

422. Tria hic discutienda occurrunt. 1. Num, praeter Sacerdotium, sint in Ecclesia Catholica alii ordines, et majores, et minores. II. Num Diaconatus sit verus Ordo, et Sacramentum. III. Num talis quoque sit Subdiaconatus. Primum pertinet ad fidem: De altero non videtur posse dubitari. De tertio varia est sententia Theologorum. Sit ergo sequens de fide

PROPOSITIO I.

Praeter Sacerdotium in Ecclesia Catholica sunt alii Ordines et majores, et minores, per quos, veluti per gradus quosdam, in Sacerdotium tenditur.

423. *Prob. I.* Tota haec propositio ad fidem pertinet, quoniam opposita ad verbum anathemate percussa

fuit a Conc. Trident. sess. XXIII. can. II. (§. 402). Ipsa autem apertissime evincitur ex Scriptura quoad Diaconatum, et ex traditione respectu Subdiaconatus, et aliorum Ordinum minorum, licet non constet certo de numero istorum. Et quidem de Diaconatu haec habemus in Act. Apost. cap. VI. v. 2.: « Convocantes » autem duodecim multitudinem Discipulorum, dixe» runt: Non est aequum nos derelinquere verbum » Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, » viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu » Sancto, et Sapientia, quos constituamus super hoc o» nus . . . . Et elegerunt Stephanum, virum plenum » fide, et Spiritu Sancto, et Philippum, et Procho» rum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, » et Nicolaum advenam Antiochenum. Hos statuerunt » ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt » eis manus ». Quis dubitare poterit de vera Sacramentali ordinatione illorum septem Diaconorum secundum Christi institutionem. Hic habemus manuum impositionem, non secus ac in ordinatione Episcopi, et Presbyterorum. Ergo habemus Sacramentalem materiam. Sed impositio isthaec facta est cum oratione: *Orantes imposuerunt eis manus*. Ergo habemus quoque formam. Sed id fecerunt Apostoli. Ergo vel fecerunt ex doctrina Christi prius voce accepta, vel ex speciali afflatu Spiritus Sancti. Ergo habemus etiam Divinam institutionem. Nullus autem dubitabit de collatione gratiae, si legerit, quae ibi enarrantur de Stephano: *Stephanus autem plenus gratia, et fortitudine faciebat prodigia, et signa magna in populo* (v. 8). *Et non poterant resistere Sapientiae, et Spiritui, qui loquebatur.* (v. 10).

424. *Prob. II.* Sed haec ipsa veritas mirifice confirmatur ex traditione, ex Ecclesiae praxi, et id non solum quoad Diaconos; sed etiam quoad alios inferiores Ordines, licet de his ex antiquitate non certo constet illorum numerus. Sic S. Polycarpus in Epist. ad Philippenses cap. V. vocat Diaconos Ministros Christi, Ecclesiae Dei. Cornelius Romanus Pontifex in epist. ad Fabium Antiochenum an. circiter 252 sic apud Eusebium lib. VI. Hist. Eccl. cap. XLIII. loquitur de omnibus ordinibus: *Ergo ille Evangelii judex, Novatianus, ignorabat, unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica, in qua tamen sciebat Presbyteros esse quatuor et quadraginta, septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolythos duos, et quadraginta Exorcistas, et Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos.* Et Cajus Rom. Pontifex anno circiter 283 ut refert Anastasius Bibliothecarius de vitis Rom. Pontificum, praescripsit, ut nullus ordinaretur Episcopus, nisi prius fuerit Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus Presbyter. Ergo semper in Ecclesia Catholica, praeter Sacerdotium, alii fuerunt Ordines et majores, et minores.

PROPOSITIO LI.

Pro certo contra Durandum habemus, Diaconatum esse verum Sacramentum

425. *Prob. breviter.* Ex §. 423 in Diaconatu habemus materiam, impositionem scilicet manuum factam

ab Episcopo: Item habemus formam, nempe ejusdem Episcopi orationem ordinatam ab Apostolis, et determinatam ab Ecclesia per verba: *Accipe Spiritum Sanctum*. Et habemus quoque collationem gratiae, quoniam Conc. Trident. cap. IV. definivit, quod non frustra in Sacra Ordinatione Episcopi dicunt: *Accipe Spiritum Sanctum*: Et inde fas non est dubitare de institutione Divina, quia solus Deus est auctor gratiae, et eo vel magis, quod ab Apostolis ordinati fuerunt septem primi Diaconi. Ergo etc. Et hic accedit quod ita sensiunt Theologi omnes, si Durandum excipias, et Cajetanum, et haec quoque fuit semper Ecclesiae praxis, quae semper Diaconatum habuit inter Ordines Majores, et Sacros.

426. De Subdiaconatu autem et aliis ordinibus, qui minores dicuntur, varia est doctrina Theologorum. Quod certum est respectu Subdiaconatus, ipse a Graecis connumeratur inter minores, et non sacros, et sic quoque a Latinis per plura Ecclesiae saecula. De minoribus pariter certum est, quod idem non semper fuit illorum numerus. Et exinde factum est ut cum habeantur veluti ex institutione Ecclesiae, probabilior sententia videtur, Subdiaconatum, et minores ordines non esse verum Sacramentum.

427. Quod vero ad primam clericalem tonsuram pertinet, dicimus, quod ipsa nequidem ordinis nomine appellanda est, quia est simplex caeremonia ab Ecclesia instituta, qua laicus baptizatus, et confirmatus clericus instituitur.

DISSERTATIO III.

De materia, forma, Subjecto, et Ministro, Sacramenti Ordinis.

428. Quod pertinet ad materiam, et formam Ordinationis, quia nomen istud tam majoribus, quam minoribus Ordinibus tribuitur, duplici ratione tam de materia, quam de forma disserendum est. Et quidem respectu Ordinum minorum convenit inter omnes, apud Latinos materiam esse instrumentorum traditionem, et formam esse verba, quae a Ministro proferuntur dum instrumenta porriguntur; et apud Graecos, impositionem manuum cum Oratione.

429. Sed non ita pariter convenit cum agitur de Ordinibus Majoribus, sive Hierarchicis. Communior tamen sententia videtur illa, quae tenet, materiam adaequatam esse impositionem manuum, et formam esse orationem Ministri, porrectionem vero instrumentorum invectam esse ab Ecclesia ad majorem declarationem potestatis, quae traditur. Sed nihilominus, quia in Sacramentorum administratione tutior pars tenenda est, idcirco utraque materia in praxi adhibenda est, manuum scilicet impositio, et instrumentorum porrectio. Quinimo dicimus, quod si alterutra omissa fuerit, debet suppleri.

430. Sed monendum tamen, quod in Ordinatione Sacerdotis, non primam, nec tertiam manuum impositionem esse essentialem Ordinis materiam, sed secun-

dam. Et ratio est, quia prima non determinatur ab aliqua forma verborum, et tertia non est in usu apud Graecos, et Orientales, et apud nos adhibetur cum jam ordinati simul cum Episcopo Eucharistiam consecrarunt.

De Subjecto Ordinis.

431. Quae ad subjectum Ordinis spectant, alia quidem requiruntur ut ordinatio sit valida, alia ut sit legitima. Ut sit valida I. necesse est, ut sexus sit virilis: II. ut sit baptizatus: III. ut fiat cum ordinandi consensu. Nec quoad primum obest, quod passim legamus fuisse olim Diaconissas, Presbyteras, et etiam Episcopas. Etenim Diaconissae nullam relationem habebant ad Sacerdotium, et Presbyterae, ac Episcopae erant Sacerdotum, et Episcoporum mulieres. Et quoad III. constat, quod ut nulla saepius declarata fuit a summis Pontificibus ordinatio facta vere invito, et obluctanti. Quaenam vero conditiones requirantur, ut ordinatio sit legitima, legantur Canonistae. Nihilominus aliqua attingemus in appendice, quam mox subjiciemus de irregularitatibus.

De Ministro Ordinis.

432. Minister Ordinis vel est ordinarius, vel delegatus. Et item vel legitimus, vel illegitimus. Ministrum ordinarium tam majorum, quam minorum ordinum esse solum Episcopum, de fide propugnavimus prop.

XLIX. §. 415. De Ministro autem delegato convenit inter Theologos, Presbyterum a Summo Pontifice delegari posse ad conferendum Subdiaconatum, et quatuor minores ordines. De ordine autem Presbyteratus, et etiam Diaconatus, communis etiam recentiorum sententia est, quod munus istud non possit Presbyteris delegari. Unde Natalis Alexander diss. XLIV. in append. *de Corepiscopis* postquam dixit: *Non improbabile visum est doctis quibusdam viris, simplices Sacerdotes, summi Pontificis delegatione posse alios ordinare*; tandem concludit: *Haec tamen sententia, quae traditioni repugnat, sequenda non est.* (Perr. cap. IV. de sac. Ord. §. 134. n. 2.) Et quoniam opposita sententia pro delegatione conferendi Diaconatum innititur privilegio facto ab Innocentio VIII. Abbatibus Cisterciensibus conferendi suis Monachis, praeter quatuor minores ordines, et Subdiaconatum, Diaconatum etiam, respondet idem doctiss. Perr. ib., quod *plures non immerito suspicantur, diploma Pontificium depravatum fuisse; cum nutet propterea singulare, et fortasse unicum fundamentum hujus sententiae, nutat sententia ipsa eidem innixa.*

433. Minister autem ut dicatur legitimus, debet esse I. Catholicus. II. Canonice electus. III. Episcopus proprius, aut ex commissione Episcopi proprii. Tandem, ut ordinatio fiat secundum Ecclesiae leges. Quod si vel omnes, vel una tantum ex dictis conditionibus deerit, Minister dicitur illegitimus: Et ordinationes ita peractas illegitimas esse, nemo est, qui dubitat.

434. Sed magna fuit quaestio, et est quoque modo,

utrum etiam vanae, et inutiles sint hujusmodi illegitimae ordinationes, maxime si factae sint ab Episcopis Haereticis. Sed communis nunc facta videtur sententia Divi Thomae ab ipsa Ecclesia recepta, quod ordinationes factae ab Episcopis haereticis, Schismaticis, et Simoniacis sint validae.

435. Ast, objiciunt, si verae, et validae ab Ecclesia censentur hujusmodi Ordinationes, quomodo invalidas dicimus Ordinationes, quae ab Haereticis Anglicanis Episcopis fiunt?

℟. Anglicanas ordinationes non ideo invalidas dicimus, quia ab Episcopis haereticis fiunt, sed quia deest illis Episcopis successio, et quia essentialiter vitiatur forma. Etenim constat ex probatis, et coevis Scriptoribus, Matthaeum Parckerum Episcopum, a quo Episcopi Anglicani originem ducunt, fuisse in diversorio Londini Episcopum inauguratum simul cum aliis, a Joanne Scoraeo Episcopo Roffensi sine legitima materia, et forma. Etenim pro materia super caput ejus imposita fuit Biblia: et pro forma prolata fuerunt verba: *Accipite potestatem praedicandi verbum Dei in sua puritate.* Ergo deest Episcopis Anglicanis successio, et propterea invalidam dicimus illorum ordinationem.

APPENDIX

DE IRREGULARITATIBUS.

436. Irregularitas, prout ad rem nostram pertinet, est impedimentum canonicum, sive ab Ecclesia constitutum, quo quis directe inhabilis declaratur ad Ordines licite suscipiendos, aut illorum functiones exercendas.

437. Varias divisiones sortitur irregularitas. Et praesertim I. dividitur in totalem, et partialem in perpetuam, et temporalem. II. In irregularitatem ex delicto, et in irregularitatem ex defectu.

438. Irregularitas dicitur totalis, cum omnium ordinum aut susceptionem, aut exercitium impedit: Partialis vero, quae impedit ab aliquo tantum Ordine suscipiendo, aut non ab omni exercitio ordinis jam suscepti. Quod si pro semper impedit, dicitur perpetua; temporalis autem, si erit ad datum tempus.

439. Dicitur irregularitas ex delicto, quae ob aliquam gravem, et externo opere consummatam culpam constituta est. Et haec culpa quatuplex adsignatur, nempe haeresis, vel apostasia, dum tamen vel verbis, vel signis sit sufficienter manifestata, quae attingit etiam fautores. II. Iteratio Baptismi tam pro rebaptizante, nisi ob rationabilem dubitationem, et sub conditione id faciat, quam pro suscipiente III. Illicita ordinis susceptio, et illicitus ordinis usus, uti si furtive, aut per saltum Ordo suscipiatur, aut suscipiatur ab Episcopo jurisdictionem non habente, aut post contractum Matrimonium, etsi

non fuerit consummatum. IV. tandem homicidium, dum tamen non sit mere casuale, et etiam abortus, et mutilatio, et haec culpa extenditur etiam ad consulentes, cooperantes, et non impedientes, cum possint, et ex justitia tenentur.

440. Irregularitates tandem ex defectu octo numerantur, scilicet, ex defectu animi, corporis, natalium, famae, aetatis, Sacramenti, lenitatis et libertatis. I. sunt irregulares defectu animi qui carent usu rationis, uti amentes, furiosi, energumeni, et etiam epileptici post pubertatem, et neophyti. II. ex defectu corporis sunt vel qui tali laborant vitio, ut Ordinum functiones vel exercere omnino non possint, vel non possint, nisi indecore, aut adeo sint deformes, ut horrorem, aut risum moveant. Et hujusmodi sunt, qui carent manu, vel etiam indice, aut pollice, oculo sinistro, gibbosi, pigmaei etc. III. Irregulares ex defectu natalium sunt filii illegitimi, sive spurii, etiam, occulti, dummodo tamen legitimi facti non sint per subsequens matrimonium. IV. Ex defectu famae sunt illi, qui reputantur infames sive ex patratis criminibus, sive ex arte, quam exercent. V. Ex defectu aetatis sunt irregulares qui aetatem non habent, quae pro dato ordine ab Ecclesia statuta est, uti annus vigesimus primus pro subdiaconatu, vigesimus tertius pro Diaconatu, vigesimus quintus pro Presbyteratu, et trigesimus pro Episcopatu. IV. Ex defectu Sacramenti sunt bigami, etsi bigamia fuerit ante susceptionem Baptismi, et quaecumque illa sit, sive vera, sive interpretativa, sive similitudinaria. VII. Ex defectu lenitatis a Sacris Ordinibus arcentur omnes,

*

qui ad alicujus necem, vel mutilationem, quamvis justam, voluntarie concurrunt. Tandem censentur irregulares ex defectu libertatis, qui ex jure appellantur servi, non autem qui mercede conducti serviunt.

CAPUT VII.

De Sacramento Matrimonii.

441. Matrimonium sic dictum, ut inquit Catech. Rom., quia femina viro conjungitur, ut mater fiat, et alio nomine dictum *connubium* ex eo quod ob verecundiam feminae caput tegebatur, et etiam *conjugium* ex unione viri cum femina, sub duplici aspectu considerari potest, ut contractus scilicet, et ut Sacramentum. Multa sub utrolibet respectu considerato de illo dicenda forent. Sed brevitati consulentes, utramque rationem quasi confundendo, sive melius, conjungendo, sic definimus: *Matrimonium est viri, et mulieris maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens, et a Christo Domino ad dignitatem Sacramenti elevata.*

442. Tribus autem dissertationibus hoc ultimum caput absolvemus. In I. disseremus de Matrimonio quatenus est Sacramentum. In II. agemus de illius proprietatibus, et maxime quatenus est Sacramentum. Et in III. de impedimentis Matrimonii, et ad quem spectat illa statuere. Et tandem aliqua innuemus de Matrimoniis mixtis.

443. Sed prius videamus oportet, quae de fide cir-

ca hoc Sacramentum tenenda sunt ex Concilio Tridentino sess. XXIV.

Canon I.

Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia invectum, neque gratiam conferre; anathema sit.

Canon II.

Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege Divina esse prohibitum; anathema sit.

Canon III.

Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant; anathema sit.

Canon IV.

Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.

Canon V.

Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum; anathema sit.

Canon VI.

Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.

Canon VII.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, et docet juxta Evangelium, et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, alterum Matrimonium contrahere, moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.

Canon VIII.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.

Canon IX.

Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse; non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, et oppositum nil aliud esse, quam damnare Matrimonium; posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur, nos supra id, quod possumus, tentari.

Canon X.

Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel coelibatus; et non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut coelibatu, quam jungi Matrimonio; anathema sit.

Canon XI.

Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis Nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam; aut benedictiones, et alias caeremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; anathema sit.

Canon XII.

Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos; anathema sit.

DISSERTATIO I.

De Matrimonio, quatenus est Sacramentum.

444. Duo in hac prima dissertatione nobis agenda proponimus. Primo de fide adversus Lutheranos, Calvinistas, Socinianos, aliosque vindicare debemus, Matrimonium, quod in veteri lege erat contractus obligans lege Divina naturali, et positiva, ut praesertim habemus ex Genesi cap. II. v. 24, a Christo Domino elevatum fuisse ad verum novae legis Sacramentum. II. Summatim discutiemus magnam quaestionem, quae agitatur inter Theologos, quinam scilicet sit Sacramenti Matrimonii Minister Sacerdos ne, an vero ipsi contrahentes, et inde quaenam sit materia, et quaenam forma. Sit ergo dogmatica

PROPOSITIO LII.

Matrimonium est vere ac proprie dictum Sacramentum a Christo Domino institutum.

445. *Prob.* Ex Scripturis. Apostolus ad Ephesios cap. V. postquam v. 25. dixit: *Viri diligite uxores*

vestras , *sicut et Christus dilexit Ecclesiam*, *et seipsum tradidit pro ea* ; sic de Matrimonio suum concludit sermonem. *Sacramentum hoc magnum est*, *ego autem dico in Christo* , *et in Ecclesia.* Haec autem Apostoli verba accipienda esse de Sacramento novae legis vere , et proprie dicto , nullimode fas est dubitare, si consulamus traditionem , quam habemus ex doctrina Sanctorum Patrum , et item perpetuam praxim , et doctrinam Ecclesiae , quae est legitimus , et infallibilis Scripturarum interpres. Itaque.

446. *Prob. II.* ex Sanctis Patribus. Tertullianus in lib. I. contra Marcionem pag. 451. scribit : *Sed etsi nubendi jam modus ponitur*, *quem quidem apud nos spiritualis ratio* , *Paracleto auctore* , *defendit* , *unum in fide matrimonium praescribens*, *ejusdem erit modum fingere.* S. Ambrosius in lib. I. *de Abraham* cap. VIII. loquens de eo , qui alterius nuptam ducere cupit , ait : *Qui sic egerit* , *peccat in Deum*, *cujus legem violat* , *gratiam solvit* : *et ideo quia in Deum peccat* , *Sacramenti Coelestis amittit consortium.* Et ut caeteros omittamus , S. Augustinus cum in innumeris locis , tum saepe in lib. *de bono conjugali* vocat Matrimonium Sacramentum : *Propterea* , ait cap. XVIII. , *Sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad unum virum* , *et unam uxorem redactum est . . . Sacramentum nuptiarum singularum nostri temporis significat unitatem omnium nostrum subjectam Deo futuram in una coelesti civitate.* Et S. Thomas in Summa 2. 2. q. 100 art. 2. ad 6. dicit : *Dare pecuniam pro Matrimonio . . . in quantum est Ecclesiae Sacramentum* , *est illicitum.*

447. *Prob. III.* Ex Ecclesiae praxi, et doctrina. Et quidem de Ecclesia Latina, sic habemus ex antiquissimis ritualibus, ex quibus Matrimonium connumeratur cum aliis septem Sacramentis. Sic ex S. Gregorio M., ut fatetur ipse Calvinus Inst. lib. IV. cap. XIX. n. 34. Sic ex Lucio III. in decr. contra haeret. Sic ex Conc. Constantiense. Sic ex Eugenio IV. in *Instructione Armenorum*. Et sic tandem de fide decrevit Conc. Trident. sess. XXIV. can. 1 (§. 443.) Quod vero ipsum senserit, et sentiat Ecclesia Graeca, sufficit adducere professionem Hieremiae Graecorum Patriarchae factam sub finem saeculi XV. in censura *confessionis Augustanae*, ubi nomine totius Ecclesiae Graecae profitendo, septem esse Sacramenta a Christo instituta, sic de Matrimonio loquitur: *Divinum Sacramentum esse, atque unum ex illis septem, quae Christus, et Apostoli Ecclesiae tradiderunt.*

Solvuntur praecipuae objectiones.

448. Ad verum Sacramentum instituendum requiritur I. Divina institutio. II. collatio gratiae. III. ritus sensibilis, quo hujus gratiae collatio designatur. IV. requiritur minister. Sed haec omnia desiderantur in contractu matrimoniali. Ergo etc. Et quidem I. Matrimonium fuit semper ab initio mundi. Ergo non fuit a Christo institutum. II. Coelibatus, qui non est Sacramentum, praefertur Matrimonio. Ergo in Matrimonio non confertur gratia. Tandem non convenit inter Theologos nec de vera materia, nec de vera forma, et quod majus

est, nec etiam de Ministro, utrum sit Sacerdos benedicens, an vero ipsi contrahentes. Ergo etc.

℟. Utique ab initio mundi fuit Matrimonium, et quidem ex voluntate, ne dicam praecepto ipsius Dei, qui masculum, et feminam creavit, ut unirentur: ast fuit semper ut contractus naturalis, qui nihil impedit, quominus a Christo elevaretur ad Sacramentum. Quod si revera elevavit cum benedixit nuptias, revera habemus divinam institutionem, et consequenter collationem gratiae. Nec II. officit, quod coelibatus illi anteferatur, quoniam, antefertur quoad statum, non vero quoad Sacramentum. Unde Apostolus in I. ad Corinth. cap. VII. ait: *Qui matrimonio jungit virginem suam, benefacit, qui non jungit, melius facit.* Quod ad materiam, formam, et Ministrum spectat, quaestio inter Theologos non est, utrum sint, sed quae ipsa sint. Ast in utraque sententia habetur ritus sensibilis, et minister.

449. Quod vero ad ministrum Sacramenti Matrimonii spectat, et inde ad materiam, et formam, oppositas sententias explicamus, ut appareat quae probabilior sit existimanda. Itaque antiqua Theologorum sententia, quam et major pars recentiorum tenent, est quod ministri Matrimonii sint ipsi contrahentes. Ast Melchior Canus, cui non pauci adstipulantur, et quem, ut ipse idem dicit, praecesserunt Guillelmus Episcopus Parisiensis, et Paludanus, tuetur, Ministrum Sacramenti Matrimonii esse Sacerdotem benedicentem.

450. Rationes, quibus Canus cum aliis suam defendit sententiam, sunt I. Concilium Carthaginense IV. can. XIII., ubi sic praecipit: *Sponsus, et sponsa*

cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus suis, vel paranynphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant. Et saepe Ss. Patres dicunt, Matrimonium sanctificari, et obsignari Sacerdotis benedictione. Ergo, dicunt, Matrimonii minister est Sacerdos. II. Et id manifeste declarat Conc. Trident. sess. XXIV., ubi cap. I. *de reform.* sic praecipiendo ait: *Ubi Parochus, viro, et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciae ritum.* Si Parochus conjungit in matrimonium; dicendum, Parochum esse hujus Sacramenti Ministrum. III. Et hoc ipsum habemus ex Apostolo in I. ad Corinth. cap. IV. v. 1.: *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum* (idest Sacramentorum) *Dei.* Si ergo ex Apostolo Sacerdotes sunt dispensatores Sacramentorum, quomodo non etiam Sacramenti Matrimonii? Ad summum dicere fas est, quod contrahentes sunt auctores Matrimonii, ut est contractus, sed quatenus est Sacramentum, solus Sacerdos est illius minister.

451. Patroni vero oppositae sententiae, praesertim Bellarminus, sic allatis Cani argumentis respondent. Et quidem ad primum dicunt, nullius esse momenti: I. quia ritus servandi virginitatem prima nocte nuptiarum introductus fuit ab exemplo Tobiae, et id Concilium Carthaginense praecepit ex motivo devotionis, non ve-

ro ut quid essentiale pro validitate Sacramenti. Patres autem nihil aliud significare voluerunt, nisi quod Matrimonium apud Christianos non amplius est simplex contractus naturalis, sed res sacra, quoniam Christus Dominus illud sanctificavit, et eidem suam contulit gratiam Sacramentalem, quapropter licet immutata non sit ratio naturalis contractus, ad Ecclesiam nunc pertinet, et indigne se gerere, et graviter peccare, qui in faciem Ecclesiae illud non contrahat (sic Patres locuti sunt ante Concilium Tridentinum).

452. Ad alterum dicunt. Verba Tridentini potius accipienda sunt veluti declaratio jam peracti Sacramenti, quam ut vera forma ejusdem. Et quidem ipsa, aut similia, ut dicit Concilium, nova sunt, et prorsus desiderantur in antiquis ritualibus. Nunquid ergo dicemus, ante Concilium Tridentinum Matrimonium non fuisse Sacramentum? Dixi, quod potius indicant, jam rite, et valide peractum esse Matrimonium. Etenim Cardinalis Pallavic. lib. XX. cap. IV. n. 1. *Istor. Concilii Tridentini* dicit: *Essendo concordi* (i Teologi) *negli altri punti, dissentivano sopra due. L'uno era: Se qualunque Matrimonio fra Cristiani fosse Sacramento: il che sentivano quasi tutti: o sol quello, che viene benedetto dal Sacerdote; secondo l'opinione di Guglielmo Parigino, la quale era difesa dal prenominato Simone Vigor, e da pochi altri.* Et in lib. XXII. cap. VIII. §. 16. enarrans, quod cum omnes prope Patres convenissent in statuendo, ut ad Matrimonium debite celebrandum tres in posterum adhiberentur testes, ex quibus unus saltem esset quasi-

tus, quique contracta Matrimonia in librum referret, primo disceptatum fuit, utrum scriba, an vero Parochus ad id munus seligeretur. Sed ob plures rationes convenit inter Patres, ut Parocho id munus demandaretur. Et inde §. 17. concludit: *Queste furono le ragioni, le quali mossero tanto i Vescovi, quanto gli Ambasciatori, e gli stessi Principi della Cristianità ad aver per meglio, che facesse di mestiero al valore, l' intervenimento del Parroco*. Quis hic non videt, quod juxta Concili Tridentini mentem Parochus potius requiritur ut testis auctoritatis, quam ut minister?

453. Tandem ad verba Apostoli dicunt, quod semper verum est, Sacerdotes esse ministros mysteriorum Dei, licet ministri non sint Sacrimenti Matrimonii, quoniam istud, ut contractus naturalis elevatus fuit ad Sacramentum, quin aliud preceperit immutandum. Caeterum Christus ipse ait Discipulis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos* etc., et tamen quivis valide, et in casu necessitatis etiam licite, ministrat Sacramentum Baptismi, quin derogetur muneri Sacerdotum.

454. Rationes autem, quibus suam sententiam adstruunt qui Matrimonii ministros dicunt esse ipsos contahentes, hae precipuae sunt. I. Verba Eugenii IV. in *Instruct. Aem.*, scilicet: *Septimum est Sacramentum Matrimonii . . . Causa efficiens Matrimonii regulariter loquendo est mutuus consensus per verba de praesenti expressus* II. verba Concilii Tridentini sess. XXIV. in decr. *de reform. Matr.* cap. I.: *Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia, libero con-*

trahentium consensu facta, rata, et vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, et rata esse negant, quique falso affirmant . . . Nihilominus etc. Si ergo ex Tridentino rata sunt Matrimonia clandistina, quandiu ab Ecclesia irrita non fiunt, quomodo Sacerdos dici potest Matrimonii Minister? Sed III. id invicte confirmatur ex quo Ecclesia non solum valida habet illa Matrimonia, quae quidem coram Parocho, ast illo invito, et etiam contradicente, fiunt, sed etiam non obligat hujusmodi conjuges, ut postea accipiant Parochi benedictionem. IV. Notum est, in Anglia, et in Hibernia ad evitandas poenas comminatas a civili potestate Sacerdotibus, si adsistant, et benedicant nuptias, Romanos Pontifices semper usque ad nostra tempora, dispensasse circa hujusmodi ritum. Et Pius VIII. suo Brevi 25. Martii an. 1830 dato ad Archiep. Col, et alios Episcopos declarat valida Matrimonia mixta, quae scilicet fiunt inter personam Catholicam, et Acatholicam, quae forte, illicite tamen, in illis regionibus sine Parochi praesentia contrahuntur. Sed quomodo id, et maxime post decretum Concilii Tridentini, quo sine praesentia Parochi Matrimonium declaratur invalidum, si Sacerdos, et non ipsi contrahentes, esset hujus Sacramenti Minister?

455. Ex duabus, et inter se oppositis sententiis, quas exposuimus, patet quid dicendum sit de materia, et forma Sacramenti Matrimonii. Procul dubio juxta patronos prioris sententiae nihil aliud esse potest mate-

ria, nisi contractus naturalis, qui perficitur consensu utriusque contrahentis; et forma, nonnisi benedictio, et verba Sacerdotis Sed quomodo ut diximus (§. sup.) multa vera Matrimonia, et consequenter Sacramenta, sine Ministro, et forma? Juxta vero posteriorem sententiam, communiter illorum defensores dicunt, materiam esse consensum utriusque contrahentis, prout significat corporum traditionem; et formam esse consensum ipsum, verum ut significat acceptionem.

DISSERTATIO II.

De Matrimonii proprietatibus, et ut est contractus, et ut est Sacramentum.

456. Duae communiter assignantur Matrimonii proprietates, unitas scilicet, et indissolubilitas. Illi opponitur *Polyandria*, scilicet pluralitas virorum, et *Polygamia*, pluralitas mulierum. Et alteri opponitur Matrimonii dissolutio. Nos pauca de illa, plura de ista disseremus.

457. Itaque, quoniam ipsa natura a *Polyandria* abhorret, nihil de ipsa dicimus. Quoad vero *Polygamiam*, si ipsa sit successiva, nullam pariter de ipsa movemus quaestionem, ne ex Sepulchro revocemus extinctum errorem Montanistarum, qui contra expressam Apostoli doctrinam, secundas nuptias execrabantur. Et solum de simultanea, pro viribus tuemur, ipsam damnandam esse a Christianis contra Lutherum, Melancthonem et Bucerum. Sit itaque de fide

PROPOSITIO LIII.

Non licet Christianis plures simul habere uxores.

458. Ad verbum haec propositio sancita fuit a Conc. Trident. sess. XXIV: can. II. (§. 443.): Et sic demonstratur ex Scripturis. Matth. cap. XIX. v. 9. Christus Pharisaeis dixit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationis causam, et aliam duxerit, moechatur.* Quod si ex Christi doctrina, qui, dimissa uxore, aliam ducit, moechatur, quanto magis non moechabitur, cum prima non dimissa, ducit alteram? Ergo ex Christi doctrina una tantum uxor permittitur viro Christiano.

459. *Prob. II.* Et haec semper fuit Ecclesiae, et Ss. Patrum doctrina. Sic Chrysostomus Hom. LVI. in Gen. n. 3. dicit; Christum omnino abstulisse veterem polygamiam. Ambrosius lib. I. *de Abraham* cap. VII. n. 59., et Augustinus lib. I. *de Nuptiis* cap. X., ut caeteros omittamus, idipsum docuerunt. Et Nicolaus I. Bulgariis respondit: *Duas, tempore uno, habere uxores, nec ipsa origo humanae conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit.* Nec obstant Apostoli verba I. ad Corinth. cap. III. v. 2.: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*; quasi solis Episcopis, et non omnibus illicita sit *polygamia*. Etenim Apostolus hic loquitur de *polygamia* successiva, non vero simultanea (conf. Jacob. Tirin. in hunc loc.)

460. Quod vero ad Matrimonii vinculum spectat, utrum scilicet sit indissolubile juxta Conc. Trident. decreta, duplici modo illud consideramus, et ut contractum in *infidelitate*, et ut contractum inter fideles, juxta Ecclesiae leges: et hoc posteriori modo, ut *ratum* simpliciter, et ut *consummatum*. Sit itaque

PROPOSITIO LIV.

Pro certo tuemur, matrimonium ab infidelibus contractum dissolvi posse quoad vinculum, quoties, alterutro conjuge ad fidem converso, alter nolit cum illo pacifice vivere.

461. *Prob.* Apostolus in I. ad Corinth. cap. VII duplici diverso modo loquitur de Matrimonio: primo v. 10., utique de Matrimonio inter fideles, dicit: « Iis » autem, qui Matrimonio juncti sunt, praecipio non » ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. » Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo » reconciliari. Et vir uxorem non dimittat ». En indissolubilitas Matrimonii inter fideles. Deinde pergens ita sui nomine loquitur de Matrimoniis, cum evadunt mixta: « Nam caeteris ego dico, non Dominus. Si quis » frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit » habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus » est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem ». En

ex praecepto Pauli indissolubilitas Matrimonii cum evadit mixtum, quoties pars infidelis consentit habitare cum fideli. Et tandem de iisdem Matrimonii, cum pars infidelis dissentit, sic concludit: *Quod si infidelis dissentit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus.* Quis ergo ex ista antithesi, quam Apostolus posuit inter Matrimonia fidelium, et mixta, non videt, vere quoad vinculum, non vero quoad solam habitationem, dissolvi posse Matrimonia ab infidelibus contracta, quoties alterutro conjuge ad fidem converso, alter nolit cum illo pacifice vivere?

462. Et quidem traditio suffragatur, quoniam sic laudatum Pauli testimonium interpretantur Ss. Patres, S. Ambrosius lib. VIII. in Lucam n. 2., Chrysostomus Hom. XIX. in cap. VII. Epist. I. ad Corinth. n. 3. et alii. Sed mirifice confirmant Rom. Pontificum decreta, maxime Innocentii III., qui in caput VII.: *Quanto de divortiis*, sic ait: « Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel » nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, » vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: et in hoc casu intelligimus, » quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat; » frater enim, vel soror non est servituti subjectus in » hujusmodi. Nam etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non est tamen ratum ». Et idipsum confirmavit Pontifex Benedictus XIV. lib. VI. de Synodo cap. IV. §. 3. dicens: « Certum est, infidelium

» conjugium, ex privilegio in fidei favorem a Christo
» Domino concesso. et per Apostolum I. Corinth. cap.
» VIII. promulgato, dissolvi, cum conjugum alter Chri-
» stianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua
» infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut
» cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia
» Creatoris ». Ergo etc.

PROPOSITIO LV.

Matrimonium ratum, sed non consummatum, dirimitur per solemnem Religionis professionem alterius conjugum.

463. De fide est propositio, quoniam ad verbum definita fuit a Conc. Trident. sess. XXIV. can. VI. (§. 443.): Ipsa autem non constat ex Scripturis, sed firme evincitur ex traditione, et ex auctoritate Ecclesiae divinitus tradita sicut opponendi aliquas conditiones contractui matrimoniali, ut sit validus, sic etiam ut valide contractus dissolvatur, dummodo tamen non sit consummatus, ne nimium justitia laedatur, quasi ex tacita conditione sit initus, si scilicet priusquam consummetur, non velint contrahentes sequi vitam perfectiorem, quae est professio religiosa. Et quidem Alexander III. in Conc. Lateranensi III. celebrato an. 1179 non solum declaravit hujusmodi Matrimonium dissolvi posse, sed etiam confirmavit exemplo Sanctorum. Et idipsum fecit Innocentius III. in cap. *Ex parte de conversione conjugatorum*. Et tandem Conc. Tridentinum solemniter definivit.

PROPOSITIO LVI.

Propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, non potest Matrimonium dissolvi.

464 Haec propositio de fide pariter est, ut contra Novatores definitum fuit a Conc. Trident. sess. XXIV. can. V. (§. 443.). Ipsa autem sic evincitur ex Scripturis. Christus Matth. cap. XIX. v. 9. modo absoluto sic de Matrimonio loquitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur: Et qui dimissam duxerit, moechatur.* Et idpsum dicit Marci cap. X. v. 11., et Lucae cap. XVI. v. 18. Et sine ulla exceptione confirmat Apostolus in I. ad Corinth. cap. VII. v. 10.: *Iis autem, qui Matrimonio conjuncti sunt praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo conciliari. Et vir uxorem non dimittat.*

465. Et haec est communis sententia Patrum, ex quibus instar omnium sit Augustinus, qui sic loquitur lib. in I. de *Nuptiis* cap. X.: *Hujus procul dubio Sacramenti res est, ut mas, et femina connubio cumulati, quamdiu vivunt, inseperabiliter perseverent.*

PROPOSITIO LVII.

Non errat Ecclesia cum docet juxta Evangelii, et Apostolorum doctrinam, Matrimonii vinculum ob alterius conjugum adulterium non posse dissolvi. Nec item errat, cum decernit, ob multas causas ad certum, incertumve tempus fieri posse separationem conjugum quoad thorum, seu cohabitationem.

466. Utraque propositionis pars est de fide, quia sic solemniter definitum fuit a Conc. Trident. sess. XXIV. can. VII., et VIII. (§. 443.). Et quidem de priori parte Christus Matth. cap. V. v. 32. ait: *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, adulterat.* Et idipsum confirmatur cap. XIX. v. 9. Nec obstat, quod dicat, *excepta fornicationis causa*, quia hoc intelligi debet de separatione quoad thorum, non vero quoad vinculum. I., quia secus melior conditio esset partis adulterae, quae alteri posset nubere juxta sua desideria. II. quia ubi Scriptura dubium offert sensum, interpretanda est secundum loca parallela; et quoties nec id sufficit, Ecclesiae divinitus data est facultas infallibiliter interpretandi, uti suo loco propugnavimus. Et jam loca parallela, quae sunt Marci cap. X. v. 11., et Lucae cap. XVI. v. 18., nullam exceptionem adhibent. Marcus enim dicit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Et Lucas: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moecha-*

tur : Et qui dimissam a viro ducit , moechatur. Et Ecclesia sic semper praedicta loca interpretata est , scilicet quoad Thorum , non vero quoad vinculum.

467. De altera autem parte , quae multae causae dicuntur a Concilio posse separare conjuges quoad thorum , sive cohabitationem , ad quatuor communiter reducuntur. I. est adulterium , ut habemus ex laudato testimonio Matth. , *excepta fornicationis causa*. II. alterius conjugis apostasia , aut haeresis , juxta testimonium Pauli ad Titum cap. III. *Haereticum hominem post unam , et secundam correptionem , de vita.* IV. Si alter cum altero non possit cohabitare sine gravi periculo peccandi. V. est mutus consensus ad aliquod religiosum institutum profitendum , juxta Redemptoris verba Matth. cap. XIX. v. 29. : *Omnis , qui reliquerit domum , vel fratres , aut sorores , aut patrem , aut matrem , aut uxorem . . . propter nomen meum, centuplum accipiet , et vitam aeternam possidebit.*

DISSERTATIO III.

De impedimentis Matrimonii , et ad quem spectat illa statuere.

468. Impedimenti nomine intelligimus quidquid impedit , quominus Matrimonium contrahatur. Quod si impedimentum ejusmodi sit , ut Matrimonium sic contractum sit nullum , impedimentum communiter dicitur *dirimens* ; quod si tantum reddat illicitum , dicitur *impediens*.

469 Impedimenta dirimentia sunt quindecim: Scilicet.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas
Amens, affinis, si clandestinus, et impos.
Si mulier sit rapta loco non reddita tuto
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

470. Impedimenta vero impedientia sunt quatuor: scilicet.

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum.
Impediunt fieri, permittunt juncta tenere.

De omnibus consulantur Canonistae.

471. Utique praetergrederemur, ni jam praetergressi simus, fines simplicis institutionis, si summatim solum enarrare vellemus varias sententias, et inde innumeras controversias, quae occurrunt, cujusnam scilicet potestatis sit statuere impedimenta Matrimonium dirimentia, Ecclesiasticae ne, an vero civilis, an potius utriusque simul. Quapropter vix indicatis sententiis tam Haereticorum, quam nostrorum Theologorum, sive fuerint isti *Neuterici*, sive fuerint Pontificii, breviter persequemur Catholicam doctrinam Concilii Tridentini.

472. Itaque circa impedimenta dirimentia, de quibus tantum est controversia, Haeretici, qui illa contemserunt, sunt Waldenses, Lutherani, et Calvinistae, qui propugnantes, Matrimonium esse tantum civilem contractum, et nullimode novae legis Sacramentum, illa tantum impedimenta agnoverunt, quae describuntur in Levitico cap. XVIII., et caetera, dicunt, esse sub civili potestate.

473. Protestantium errorem instaurarunt Marcus Antonius de Dominicis Archiepiscopus Spalatensis saec. XVII., et deinde Launojus in opere: *de Regia in Matrimonium potestate*, qui propugnarunt, facultatem constituendi impedimenta dirimentia ad solos Reges, et Principes proprie pertinere, quam nonnisi ex usurpatione, vel saltem ex concessione, Ecclesiam exercere. Et hunc ipsum errorem publice docuit an. 1763. Benedictus Oberhauser in sua thesi: « Potestatem Ecclesiae » statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia esse » ex beneficio juris alieni.

474. Et hoc ipsum videtur declarasse Josephus II., caeteroquin Magnus Imperator, an. 1783 in sua constitutione, quae huic principio innitiur, Matrimonium scilicet esse contractum civilem, et idcirco ad solum civile imperium pertinere statuere impedimenta dirimentia, et in illis dispensare. Et hanc erroneam sententiam tenuerunt in Italia Aloysius Litta in suo opere: *Del dritto di stabilire impedimenti dirimenti il Matrimonio*. an. 1783; Thomas Nestius in opere: « De dirimentibus impedimentis liber singularis », an. 1785.: et etiam Petrus Tamburrini in « Praelectionibus de Justitia Christi, et Sacramentis »: nec non Synodus Pistoriensis an. 1786.

475. Lex autem Gallicana, an. 1792. de Matrimoniis, non solum ad civilem potestatem revocavit omnes causas matrimoniales, sed etiam omnem sanctitatem a Matrimonio abstulisse videtur.

476. Ut habemus ex definitionibus Concilii Tridentini sess. XXIV. (§. 443.), hactenus expositae senten-

tiae vel prorsus haereticae sunt, vel saltem suspectae, nisi melius se explicent. Hinc recepta doctrina Theologorum est, causas Matrimoniales, et praesertim facultatem statuendi impedimenta, quae dirimunt vinculum matrimonii inter Christianos, pertinere ad solam Ecclesiasticam potestatem, ad civilem autem pertinere statuere ea, quae civiles effectus respiciunt.

477. Itaque praeter manifestam haeresim Protestantium, et Novatorum, quam refutavimus prop. LI. (§. 445.), huc reducuntur sententiae eorum, qui dicunt, se a catholica doctrina non recedere, dum tamen contra recensitos canones directe loquuntur. I. Nonnulli dicunt, Ecclesiae nomine a Concilio Tridentino can. IV. et XII. intelligi auctoritates civiles. II. Praedictos canones non esse dogomaticos, sed disciplinares. III. Concilium non definisse quo jure, suo ne proprio, an potius ex concessione Principum, Ecclesiam facultatem habere statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia. IV. Hanc potestatem aeque convenire Ecclesiae, et Principibus saecularibus. Tandem, non omnes Matrimoniales causas pertinere exclusive ad Judices Ecclesiasticos.

478. Antequam expositis sententiis respondeamus, nonnulla, quae sentimus, visum est aperire. I. Etsi Matrimonium sit contractus simul, et Sacramentum, ut unum tamen indivisibile in Ecclesia Catholica existimandum est. II. Est essentiale Principum studere felicitati suorum subditorum. III. Non possunt Principes leges condere, quae patriam veram Religionem evertunt. IV. Quae non ad simplicem modum, et tempus, et circumstantias exterioris Religiosi cultus pertinent, sed vera

Religionis dogmata spectant, non ad Reges, et Principes Saeculares, licet Catholicos, attinent, sed ad solam Ecclesiam.

479. His praenotatis, dicimus, primam, secundam, et tertiam sententiam esse manifesto falsas, et prorsus illusorias ad evitandam haeresis notam. Quarta libera est ab errore dummodo tamen non intelligatur, Principum leges dirimere posse vinculum matrimoniale inter Christianos. Ultima sententia videtur vera, si tamen causae, quae dicuntur pertinere ad judices saeculares, non spectant Matrimonium ut est Sacramentum, nec contradicunt legibus Ecclesiae quoad impedimenta dirimentia, sed tantum spectant leges, conditiones, et solemnitates a Principibus adjunctas ad producendos civiles effectus.

Et haec sufficiant de impedimentis Matrimonium dirimentibus, si addatur contra manifestos Haereticos sequens de fide

PROPOSITIO LVIII.

Potest Ecclesia constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, nec in iis constituendis erravit.

480. Haec propositio, quae ad verbum definita fuit a Concilio Tridentino in saepe repetita sess. XXIV. can. IV. (§. 443); sic brevissime demonstratur. Unica, vel saltem praecipua ratio, cur Novatores denegant Ecclesiae facultatem constituendi impedimenta Matrimonium dirimentia, est quia Matrimonium non est Sacramentum, sed simplex naturalis contractus. Sed in propositione LI. (§. 444) demonstratum, et vindicatum est,

Matrimonium esse vere, ac proprie dictum Sacramentum a Christo Domino institutum. Ergo etc. Prioris propositionis veritatem fatetur ipse Calvinus in lib. IV. *Instit.* cap. XIX. §. 37. : « Ubi, *ait*, semel obtinuere » (*Catholici*) Matrimonium esse Sacramentum, conju» galium causarum cognitionem ad se contraxerunt, » quippe res spiritualis erat profanis judicibus non attre» ctanda ». Et id confirmatur ex verbis Christi Matth. cap. XIX., et cap. XVI. ubi absolute, et independenter a legibus Principum saecularium loquitur de indissolubilitate Matrimonii, quinimo etiam contra libellum repudii, licet a Moyse permissum ob duritiam cordis Judaeorum. Et sic pariter independenter a legibus Principum Apostolus in I. ad Corinth. cap. VII. statuit impedimentum dirimens Matrimonium (§. 460.). Sed potestas spiritualis, praesertim circa Sacramenta, quam Apostoli ex doctrina, et commissione Christi exercuerunt, nemo potest dubitare, quin ad Ecclesiam, et Rectores illius transierit. Ergo etc.

APPENDIX

DE MATRIMONIIS MIXTIS

481. Matrimonium dicitur mixtum cum una pars contrahentium est catholica, altera vero haeretica, aut schismatica. Validum esse hujusmodi Matrimonium, communis nunc est Theologorum, et Canonistarum doctrina, sicut contra nemo dubitat esse illicitum sine dispensatione Romani Pontificis, qui tamen non solet dispensare, nisi ob rationabiles causas, et sub aliquibus conditionibus. Conditiones vero duae praecipue sunt: Prima, ut pars catholica promittat, se omnia effecturam, ut altera pars convertatur ad fidem catholicam: Secunda vero, ut omnes filii nascituri in Catholica Religione educentur.

482. Quoniam praedictae conditiones rite servatae non parvum incrementum Catholicae Religioni dederunt in acatholicis regionibus, inde factum est, ut illorum Principes omni modo, fraude, et vi procuraverint ne deinceps tales conditiones servarentur; quinimo et minis, et saevitiis cogunt Sacerdotes Catholicos, ut hujusmodi nuptias conjungant, omissa admonitione illarum duarum conditionum, quas Romani Pontifices non destiterunt inculcare, ut fecit quoque Pius VIII. in suo *Breve* dato an. 1830.

483. His praelibatis, quaeri solet. I. Utrum praedicta Matrimonia mixta legitime iniri possint absque Romani Pontificis dispensatione. II. Utrum in conscientia

possint Sacerdotes Catholici benedicere hujusmodi nuptias, omissis conditionibus a Romano Pontifice praescriptis.

℟. Ad primum dicimus, quod regulariter loquendo hujusmodi matrimonia sunt illicita, et quidem non solum ob periculum, cui se exponit pars catholica, sed maxime quia hujusmodi connubia semper Ecclesia aversata est, ut patet ex doctrina Concilii Chalcedonensis act. XV. can. XIV., et Laodiceni can. XXXI., et multorum Rom. Pontificum, maxime Benedicti XIV. constit. LI. ad Primatem, Archiepiscopum, et Episcopos Poloniae, Pii VI. in *Rescripto* ad Cardinalem de Franckenberg die 13 Jul. 1782, Pii VII. in *Rescripto* ad Episcopos, et Vicarios capitul. Galliarum die 17 Feb. 1809, Pii VIII. in *Brevi* 25 Mart. 1830, et Gregorii XVI. in *allocutione* habita die 10 decemb. 1837.

Quod si adeo constanter Ecclesia aversata est hujusmodi matrimonia, patet responsio ad alterum, quod mortaliter peccant Sacerdotes, et Parochi, qui sine dispensatione Romani Pontificis hujusmodi nuptias benedicunt, aut omittunt praescriptas conditiones.

Finis Libri VIII. et ultimi.

DECRETUM

Reverentissimi Ministri Generalis totius Ordinis Minorum S. P. Francisci.

Cum Opus, cui titulus *Theologicae Institutiones cum Recta Naturali Ratione ut plurimum consociatae* a Rev. P. Cherubino a Palma Lectore Jubilato M. O. compositum, a duobus Patribus Theologis revisum, et approbatum fuerit, vigore praesentium facultatem facimus, quatenus, servatis servandis, illud ipsum Typis mandari possit.

Dat. Romae Aracoeli die 15 Februarii 1844.

Fr. Joseph. M. Minister Generalis

De Mandato P. S. Reverentissimae
FR. ANTONIUS M. AB ARIGNANO
Lector Jub. Ex-Provincialis a Secretis Ordini

INDEX

OCTAVI LIBRI.

DE SACRAMENTIS.

PARS II.

**